Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

183 M 16.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

kw 183 M16

HARPOCRATES

Siue

de rectâ SILENDI ratione



LVGDVNI,

Ex Officinâ Commelinianâ.

CIↃ IↃ CIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Koninklijke
Bibliotheek
te 's Hage.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

ILLVSTRISSIMO HEROI

GEORGIO FRIDERICO

MARCHIONI BADENSI
ET HOCHBERGENSI,
LANDGRAVIO SVSENBERGENSI,
DOMINO
IN ROTELEN ET BADENVVEILER, &c.

Principi ad maxima quæq; nato
felicitatem, P.

MIRARI ſæpe mihi contigit, Principum clariſſime, quúm innumera paſſim, de arte dicendi, volumina reperiantur; ab eruditis ſanè & prudentibus viris, magno labore, multiſque vigilijs elucubrata: quî factum, vt nemo hactenus, quod ſciam, de rectâ SILENDI *ratione, quâ in re, omnis generis homines, cottidiè, multoties, peccare videmus, præcepta tradere conatus ſit.*

Aequè pauperibus prodeſt, locupletibus æquè:
Et neglecta, æquè pueris ſenibuſque nocebit.

abſterritos pleroſque rei difficultate crediderim, quæ hominem perſpicaci imprimis in-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

genio, & iudicio præditum, diuturnâque meditatione & exercitatione, eam loquendi tacendique facultatem adeptum, requirit; cuius illum haudquáquam pæniteat. Vt vero non is ego ſum, qui munus hoc arrogare mihi auſim; præſidijs videlicet illis deſtitutus: ſic operæ & ſtudij aliquid in eo poſuiſſe, vt quæ huius argumenti, à viro quodam magno, olim me audire memini, litteris mandarem; idque horis ſubſeciuis, quibus interualla negotiorum otio litterario diſpungere ſoleo; nemo iure damnet.

Sic vitæ pars nulla perit: quodcunque recedit
Litibus, accedit ſtudijs, animusque viciſſim
Aut curam imponit populis, aut ocia Muſis,

niſi forte quis ſcriptionis formam, vt nimis familiarẽ & à ſublimi illo ſenis ſapientiſſimi dicendi genere, alienam, culpare velit: quam tamen culpam, tantum abeſt vt deprecer; vt ſtudioſè me ſtilum temperaſſe profitear; ne nimiâ vbertate redundans, ſegetes ſtrangularet.

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

Id porrò quicquid eſt, inclyto tuo, PRINCEPS *eminentiſſime, nomini dicatum, in publicum exit. quamuis hac inſcriptione, beneficium me potius accepturum, quam*

daturum,

daturum, facilè intelligam. neque enim horum lectione librorum indiges: ſed virtutum tuarum gloriâ impulſus, iamdúdum eò inclino. tum vel maximè poſt ſermones quos mecũ biennio ante obitũ, RVDOLPHVS BARO SALICEVS, vir genere & laude bellicâ illuſtris, cuius memoria apud me ſancta, de te habuit. Audiui non ſemel quùm diceret (vt erat acris iudicij) ſe vim in te ingenij; animi magnitudinem; facultatem dicendi; & ſententiarum grauitatem, ſummoperè admirari; hoc inſuper addito; non dubitare ſeſe, quin ſi aliquando contigerit, patentiorem te nanciſci campum exercendæ virtutis, magni Principis, togâ ſagoque, numeros impleturus ſis. Laudibus tuis non immoror; ne eas tibi narrando, pudorem onerare tuum videar. Me ſanè, præter iſta, & alia ſunt quæ ad te trahant; priuata nempe fratris tui, Principis prudentiſſimi & optimi; tuaque in me merita: quæ mihi gratâ recordatione, perpetuoque ſtudio colenda quúm intelligam, ſi Deus Opt. Max. vitam largiatur, ſilentio tegi non patiar. Tuum erit intereà, quæ ſumma tua eſt humanitas, animi mei ſtu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

dium, quod in rę hac, licet paruâ, ampliſ-ſimum eſt, ad exemplum magnorum Regum, boni conſulere, quibus gratius ſæpè, roſis concinnatum ſertum, è paruo lare, atque humili casâ, vbi animus eximius ſit; quàm oblata a viro Principe, quamuis pretioſa gemma. toto id pectore voueo, & iam nunc neſcio quid ſentio, quod bene ſperare iubet

arcano pulſans præcordia motu.

Vale diu felix, Principum decus. Script. 10. Nouembris CIↃ IↃCII.

TVÆ CELSITVDINI

addictiſſimus

Hippolytus a Collibus.

HARPO-

HARPOCRATES

SIVE

DE RECTA SILENDI RATIONE.

ANnus ab hinc decimus eſt & octauus, quum Rhætiam ex negocio petens, ſuperatis alpibus, propè Clauennam (Italiæ id finitimum opidum) in patris mei, olim etiam qùùm ambo in Cæſaris aulâ verſarentur, amicum, incidi; virum in omni vitâ recti exempli, artibuſque illâ nobilitate dignis, imprimis ornatum. Ad riuulum is fortè, inclinante die, inambulabat; *argenteis vndis laſciuientem, perq; læta fugientem gramina*. Nomen quæris? Pomponium vocare lubet; nam Attico illi perquam ſimilis viuebat; in re lautâ elegans, non magnificus; ſplendidus, non ſumptuoſus: omnique diligentiâ munditiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

affectabat: liberalis erga omnis generis homines, doctos præcipuè: triſtitiam & arrogantiam procul habebat; ita tamen, *vt nec illi*, quod de Agricola ſocero Tacitus, *aut facilitas auctoritatem, aut ſeueritas amorem minueret*. & difficile eſſet intellectu, vtrum eum amici magis vererentur, an amarent. Hic inquam Pomponius, agnitum me, ſanè perquam amanter amplexus, iam enim in pedes deſilieram, primo ſtatim congreſſu, ita cæpit. Felix hæc mea ambulatio, quæ tantum mihi conciliauit hoſpitem: cui ego; ſcelus fuiſſet, mi pater, te non viſo, pedem hac prouinciâ efferre. immò, inquit ille, vel hac tranſijſſe, nec in noſtro diuertiſſe: Verum enimuerò, quæ tibi peregrinationis cauſſa? lites, inquam, o ſæuæ lites

O furijs Ereboq́ſ ſatæ.

Ad hæc ille ſubridens; Hem ſobrius ad lites? an tibi illud Martialis excidit?

Ah miſer & demens, viginti litigat annos
Quiſquam, cum vinci Gargiliane licet?

ſedamo herclè iſtas; quæ ſi non alium, hunc certè peperêre fructum, quod me interuiſas; i puer, & vxori nuncia, nos in hor-

hortis cænaturos. Tum ego: Lucullum ali quem audire videor. nam Domina auditâ hortorũ mentione; confeſtim quibus ferculis cenam inſtrui velis, animaduertet; ſed frugales ſimus, quæſo te, mi pater noſti illud Senecæ, *nihil cænâ ſumptuoſâ flagitioſius.* & tua colloquia vel ſola Tarentinas omnes, ac Siculas voluptates ſuperant Vt frugales ſimus, ait fronte ſereniore Pomponius, cenam impero hortenſem, id eſt planè terreſtrem & dapium inemptarum: hortum noſti pauperis eſſe macellum. perplacuit mihi ſemper Africani iunioris illud, qui quamdiu vixit, nil emit, nil vendidit, nil ædificauit: licet in nullo horum imitari potuerim. Dum hoſce aliosque ſermones alternamus, ad Pomponij peruenimus domũ, amplam hercle, atque ita exſtructam vt nihil in eâ deſideretur, vel ad miniſterij domeſtici vſum, vel ad ornatus dignitatem. Heîc mõſtrato cubiculo, varijs picturis referto: in quod ſarcinulas meas condi iuſſerat, & poſtquam dixiſſet, pueros en meos habes, dum tui equos curant; iube, impera: ſpaciũ mihi puluerem excutiendi viaticum

dedit: verum haud multò poſt reuerſus, cænula, inquit, te exſpectat. nimius erga me es, mi pater, ſequor inquam: at ille iniectâ dextrâ in hortos me duxit, ædibus coniunctos, varijs topiarijs ornatos, in quos ex interioribus cubiculis eſt aditus. Vias ibi cernere eſt, quę totum locum ambiunt, medium variè interſecant, ac gratas deambulationes præbent.

Quàm iuuat egregio criſtatas ordine buxos
Cernere? quæ circum mollia prata virent?
Lucidus hæc inter fons exilit, hydraq; ſupra
Largas ſepteno gutture fundit aquas.
Dat ſonitus blandos lympha, & cælata cadentem
Excipiunt Pario marmore vaſa lacum.

Hæc cùm primo oculo luſtraſſem: matremque fam: obuiam ſalutaſſem; additis illis quæ primo hoſpitum congreſſu dici ſolent, ſub vmbratilem ducor pergulam: vbi ad cœnam parata omnia; quam varij generis ſermonibus, plæriſque iucundis, acroamatis quinetiam abſoluimus. Cumque aqua iam manibus eſſet data *menſæq; remotæ*, ad me conuerſus Pomponius, viſne pauliſper deambulemus? ait, vel potius in ſede hac ceſpitibus herbeis conſtrata

quieſca-

quieſcamus? A cænâ ſtandum vel molliter & lentè deambulandum, docent medici; videamus inquam hortos tuos, antequam dies in noctem eat. Surreximus igitur; dumq́ue ego oculo curioſo, arborum & florum etiam Indicorum varietatem miram intueor

Nam nulla aut grata eſt oculis, aut fertilis arbor,
Quam non his poni iuſſerit arte locis.

de tuis inquam mi pater, idem dici poteſt quod de Cæſaris hortis, Hiſpanus ille:

Vt noua dona tibi Cæſar Nilotica tellus
Miſerat, hybernas ambitioſa roſas;
Nauta deriſit Pharios Memphiticus hortos,
Hortuli vt intrauit limina prima tui.

Huc eſt flagitium tuliſſe curas,
Curas peruigiles & inquietas,
Et morbos animi moleſtiores.

Ad hæc Pomponius renidẽs, fatebor tibi mi fili, me magno ſtudio, dicam & ſumptu, plantas haſce arboreſq́ue exoticas collegiſſe; ijsq́ue tantâ meâ voluptate frui, vt non mirer Diocletianum ſceptra hortis poſtpoſuiſſe: *Beatus ille qui procul negotijs,* noſti cetera: illibente Attilio factum quod faſcibus aratra mutauit. *Et in medio*, inquit Symmachus, *ſementis operæ, anhelos boues*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

ſtatuit ruſticus magiſtratus. Cicero mihi ſæpe in mente; qui dicebat, ex vrbe ſe tamquam ex vinculis, rus euolare.

Doctorũ chorus omnis amat nemus & fugit vrbes,
Præter cetera, Romæ mè ne poemata cenſes
Scribere poſſe, inter tot curas, totque labores?
Hic ſponſum vocat: hic auditum ſcripta, relictis
Omnibus officiis: cubat hic in Colle Quirini,
Hic extremo in Auentino, viſendus vterque.

Et fruſtráne quæſo nóbiliſsimas Romanorum familias, nomen ruſticæ vitæ, in poſteros pro honoris titulis tranſtuliſſe cenſes? Fabiorum, Lentulorum, Piſonum, Seranorum, Agricolarum, Lactucinorum, Stolonum, Ruſticorum, aliorumq́; vt Ciceronum & Cæpiorum?

His ſecura quies, & neſcia fallere vita,
Diues opum variarum, his latis ocia fundis,
Speluncæ viuiq; lacus, his frigida tempe,
Mugituſque boum, molleſque ſub arbore ſomni.
Non abſunt illis ſaltus & luſtra ferarum;
Et patiens operum, paruoq; adſueta iuuentus.
Sacra Deum ſanctiq; patres, extrema per illos
Iuſtitia excedens terris, veſtigia fecit.

Ego ad iſta; ſit quæſo ſermonis tui pauſa mi pater, Etenim nimio vitæ huius ruſticæ deſiderio me incẽdis, & ſanè ſtult' ego
Qui regum turres ac limina magna Potentũ
Perſequor quanto

quanto ſatius fuiſſet; empto agello, viuere *ſecretis inglorius aruis*: ab illis procul turbulentiſſimis moleſtiarũ tempeſtatibus, quibus aulica vita infeſta eſt: quibuſq; multos ſępe obrutos audiuimus, vidimus. Auguſtus Cæſar, cui plura quàm vlli vmquã feliciter obueniſſe tradunt; non deſinebat quietem ſibi precari, & vacationem a Repub. petere: identidemq; repetebat, aliquando ſe victurum ſibi: *Sibi ergo habeant ſua ſceptra reges.* Felix ille ruſticus qui hilaris cum occidente ſole, finiente laborum & curarum æſtu; cum ſuis olus & ſuccidiam ſumit; quam quidem, non eruditus palati architectus, ſed fames condit; vt ſuauius regum rex non ſumat; cuius menſæ exſtruendæ cauſsâ, montes, ſyluæ & maria luſtrantur.

mundæ ſub lare pauperum
Cenæ ſine aulæis & oſtro,
Sollicitam explicuere frontem.

qui quærit alta, is malum videtur quærere. qui magnas opes, curas.

Non ſit theſauris non auro pectus ſolutum;
Non demunt animis, curas ac religiones,
Perſarum montes: non atria diuitis Craſsi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Pomponius moto, ad negantium morem, capite; impetus inquit iſte iuuenilis eſt, mi fili: antequam aulicæ vitæ, maiorũ opum, ceterorumq́; honorum ſatias, immò nauſea te capiat, ruſticari veto. huius vitæ bona non intelliget, qui alterius mala non nouerit, oderit. dum animus fumis aulicis perturbatus fluctuat; (*proprium ægri eſt* ait Seneca, *nihil diu pati, & mutationibus vt remedÿs vti*;) vitam hanc deguſtare nefas; nec Vaciam Seruiliũ cuilibet imitari datũ. Tibi iam dum hæc audis, voluptaria vita ac mollis cordi eſt; ne videlicet vllis impliceris negocijs: ſed haud multò poſt, moleſtiæ multò maiores metuendæ. *Vidi ego* ait idem ſapientiſſimus vir, *in villâ hilari & amœnâ, mæſtos; vidi in mediâ ſolitudine occupatis ſimiles*; quibus

non Siculæ dapes
Dulcem elaborabant ſaporem:
Non auium Cytharæq́ue cantus,
Somnium reducebant.

Eſt quidem, fatebor enim, vita ciuilis, aulica præcipuè, diſſidiorum, ſimultatum, contentionum plena: ad hoc, inuidiæ, obtrectationi, calumnijs obiecta: ſed quando eam amplexus es; resq́ue tuæ ita

comparatæ, vt retrogredi nequeas, tuo libitu; per illam velut ianuam, in tranquillum iſtum priuati ocij portum, tranſeundum: fortunam ſcito nunquam ſimpliciter indulgere. Erige, erige oculos, ad egregia honoris & amplitudinis præmia.

Perge, te labor vllus haud retardet,
Ad tantum decoris, nec vlla, frangat
Conatum, tibi plaudiens voluptas,

Vitam ſecuram, & ſine vllis fortunæ incurſionibus, mare mortuum vocat Demetrius. *Nihil habere* ait Seneca, *ad quod exciteris, ad quod te concites; cuius denuntiatione & incurſu, firmitatem animi tui tentes; ſed in ocio inconcuſſo iacere, non tranquillitas eſt; malacia eſt.*

Paulum ſepultæ diſtat inertiæ,
Cælata virtus.

Ad hæc ſuſpirans ego; præclara inquam, Pomponi, hæc tua monita, ſi ijs naturæ & fortunæ præſidijs munitus eſſem, vt ſtadium hoc, eo ſucceſſu decurrere quirem, quo tu olim, cùm in Cęſaris aulâ verſarêre. A patre meo non ſemel audiui, te, prudentiam, nonniſi diuturno vſu, acquiri ſolitam, ante annos repræſentaſſe:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Tempore quo primũ tibi veſtis tradita pura eſt.

Ad hoc, in negocijs ducendis & voluntatibus hominum conciliandis, felicem te admodum fuiſſe. Verum quoniam in iſtum incidimus ſermonem; obſecro te, mi pater; pater inquam & ſenectute, & multâ copiâ honorum grauis; quando maior vitę tuę pars, in Reipub. adminiſtratione peracta, ita vt multis etiam, & peramplis legationibus perfunctus, inde rerum humanarum vſum, nactus ſis eximium; vt ſiquidem quod cæpi perſequendum cenſes, rectam viam, quâ inſiſtendum, & a quibus ſalebris & cliuis cauendum, doceas meque dirigas: vix gratius quicquam addo & vtilius, hoc mihi tempore, contingere poſſet: ſum etenim,

velut minuta magno
Deprenſa nauis in mari veſaniente vento

vel

ſicut implumis auicula, quæ nido euolare nondum didicit.

Thebarum in patriâ craſſoq; ſub aëre natus.

Ad iſta Pomponius, tu quidẽ, inquit, pro tuâ ſingulari, & mihi iam pridẽ perſpectâ beneuolentiâ, de me ſemper loqueris magnificè; at nunc inruborẽ me das, nimijs

his laudibus, quas haud vllum meũ meritũ, ſed merus parẽtis tui in me amor expreſſit. Cæterum, macte animo; præclara, quod ſcis, volenti, nihil difficile; nec quicquã ferè tam obuium, cuius cauſsâ, initio progreſſus, toleranda multa non veniant, quædam etiam contra genium vſurpãda:

Non fers apes? nec mel profectò linxeris. Scopuli difficiles ; non nego ; ſed qui iudicio vel mediocri vitantur: ei imprimis, qui ſeſe varijs hominum ingenijs, ac ſtudijs accomodare valet. At vrges, vt præcipuorum etiam te moneam: non is ſum fili, qui tua dignum exſpectatione promere quid valeam : nihilominus quando tamquam ex ſyngraphâ mecum agis, malo morem gerendo ignorantiam tibi meã prodere, quam negando, parum amicus videri. Et quandoquidem ei qui par negocijs, in aulis magnorum principum emergere ſtudet, duo hæc notanda veniunt : quid erga principem & quid erga ceteros, obſeruandum? ſiue ſuperiores ij ſint, ſiue pares, ſiũe inferiores: antequam iſta ſingulatim perſequar, fundamentum iacere neceſſe eſt De

lin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

linguâ prudentiæ freno comprimendâ: quo non rectè poſito, quicquid ſuperſtruas, vel minimo cadet, ſed craſtinâ luce; etenim ſomni præſes Mercurius, nos iam auocat; te præcipuè, mi fili, defatigatum, haud dubiè, & de viâ languentem.

Iam ſua paſtores ſtabulis armenta locarunt,
Iam dare ſopitis, nox nigra ſilentia terris
Incipit.

A page ſomnum inquam, *dum iſta muſsitamus, pluribus horis viuimus: profectò enim vita vigilia eſt*, vt rectè Plinius. Elegans illud Ariſtonis eſt; breue admodum viuendi tempus homini contributum: eo quod ſomnus veluti publicanus, dimidium auferat. ſi tamen dormiendum, ad tuos ſermones tanquam ad dulciſſimam harmoniam conſopiri optarem.

Omni harmoniá vox eſt amici dulcior.

ſed tui habenda ratio: eamus. Gradum itaque domum verſus reducentes, ille me renitentem, ad cubile comitatus, felicemque noctē precatus, receſſit. Ego vero ad lucis vſque confinia, quieui ſuauiter. Noctе diſcuſsâ, cum ab æquore Eoo iam ſurgerent

Roſeæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

roſeæ media inter cærula flammæ,
ſomno alacer emerſus & lectulo: meum confeſtim inuadit animum veſpertini recordatio colloquij, & cupidus ea noſcendi, quæ Pomponius promiſerat liberaliter; æternum illud numen Chriſtiano ritu veneratus, eius conclaue peto; ſed à pueris monitus iam in hortis eſſe, hos e veſtigio contendens, ambulantem, comperio, ſaluto: qui redditâ ſalute, Viantium inquit, hic mos eſt, maturè expergiſci; ſed apud me, id eſt domi tuæ, fili, quieſcere debebas. Ego verò quieui, inquam, optimè, & quod omni mihi quiete gratius, mi pater, promiſſum vt exſoluas auidè exſpecto. Pomponius frontè alacri; rigidus, inquit, exactor es. Αρκαδίαν μ' αἰτεῖς. Nolo tamen heſterni diei reliquator eſſe, nimio plus te diligo. Et cum ſediſſemus ita fari cœpit.

In vita ciuili nihil, ſapientiſſimorum hominū ſententiâ, maius aut pręclarius, quam de vnâ quaque re benè & ornatè dicere: ſed meo quidem iudicio non minor laus eſt, bene tacere. hoc, inquiebat ille, à Dijs habemus; illud ab hominibus diſci-

mus

mus. quis dubitat tacendi Prudentiam, ex eo eſſe genere virtutum, quod regendis animi motibus præeſt, & humanæ vitæ cuſtos, audit? Nil iuuat domus nil oſtia, nil vrbs, nil portæ, niſi cuſtodes ſint, qui portas claudere tempori & aperire nouerint. Linguæ pariter nulla vtilitas, niſi oris claudendi & aperiendi artem teneas, id eſt, niſi quæ efferenda, ſcias, quæve reticenda. Haud procul, olim, a Mineruæ ſed in Volupiæ templo, Romani Angeronæ Deæ ſacra faciebant; (vt Ægiptij Harpocrati, Græci Sigalioni, hic Deus totus oculeus, depingebatur; totus auritus, lupi corio ſemiamictus, pileolo Laconum more obnuptus; laneis crepidulis indutus; ore obligato, obſignatoque) qui huic non litaſſet, ei prudentiæ aræ interdicebatur. nemo etenim prudens qui tacere neſcit. Frequentibus Comitijs interrogatus Democritus, num quid ob ſtultitiam aut verborum inopiam taceret? At ſtultus, reſpondit, ſilere non poteſt. Quot millia exemplorum adduci poſſent eorum, quibus lingua perniciem attulit? quot cenſes hominum

verba

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

verba per iugulum rediſſe? Linguas Erechtio & Ariſtomeni præcidi Imp. Valentinianus iuſſit, quòd inuidioſa tantummodo quædam protuliſſe dicerentur. Omitto Staterios Romanos, Pauſanias Lacedæmonios, aliosq; quam plurimos, qui nos ad ſilentium hortari ſaltem; ſi non compellere, valent. Et ſane ſi bruta quoque ſilentio ſaluti ſuæ conſulunt: quanto id magis homines, ratione duce, obſeruare deberent. Anſeres ſcribunt Orientem ob nimium æſtum fugientes, plagamque occiduam verſus volantes, cum montem penetrare cæperint, Taurum, aquilis hoſtibus ſuis potentiſſimis abundantem; roſtra lapillis occludere; ne vel extrema neceſſitas clangorem eis, id eſt perniciem, eliciat: verum collibus hiſce agiliore volatu tranſcurſis, calculos excutere, atque ita ſecurè pergere. O vtinam qui in aulis Principum degunt, ſeriò id cogitent, ſe in monte Tauro, inſidiatorum nempe quodlibet verbum ad trutinam reuocantium, ſyluâ verſari.

Hoſtis adeſt, dextrâ leuaq; à parte timendus
Vicinoq; malo terret vtrumque latus.

Amygda-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Amygdalas, quia omnium ſtirpium primæ florent, pruinæ perdere ſolent; ſic aulicos linguæ ſæpe temeritas, & ſermo præceps; quid multa? inter tot, tamque varios errores temerè inconſulteque viuentium, nullus propemodum eo maior, quod tacere ſuo tempore neſciamus. Hæc quùm dixiſſet Pomponius, paullum conquieuit; ſed ego; intelligo hæc, inquam mi pater, prudenti ſilentio nihil vtilius, ſed tempus loquēdi tacendiue ſecernere, hoc opus, hic labor. Pomponius arridens paucis, inquit, id tibi expediam. Socrates duo loquendi tempora ponit, vel de quibus ipſe præclarè multa noueris; vel de quibus neceſsè dicere: ceteris in rebus tacendum iudicat.

Tacere ni obſit, aut loqui proſi', tace.

Habes ne quod captas? Nondum, inquã, nã quùm Silendi recta ratio, ex illo genere prudentiæ ſit, quod longo rerũ vſu, dum in hominum conſuetudine verſamur, acquirimus; ritè vel praue dicta, factaq; noſtra & aliena notando: quid circa iſta, tot annorum lapſu, obſeruaris, intelligere diſcuperem, vt ijs tanquam normâ certâ, in futurum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

futurum vti poſſem. Faciam, inquit Pomponius quod vis, non tam pręſtandi quod exigitur fiduciâ, quam negandi verecundiâ. Hæc fatus, ita perrexit. Silere prudenter, non dicitur is qui linguam tantum frenare, ſed qui omnes geſtus ſuos & actiones cohibere nouit. Ibi ego, parodoxa inquã, loqueris, mi pater, quaſi lingua non vnicum loquendi inſtrumentum. Pomponius ſermonem continuans, modo animum aduertas, ait, non modo id quod dixi, faxo intelligas; ſed & hoc inſuper; tacendo nos ſæpe euidenter loqui. Certum namque eſt, prius illud quod attinet, hominem animi ſecreta per exteriora ſenſibus expoſita ſæpe aperire ſolere: vultum ſcilicet, motum corporis, geſtum, ceteramque corporis conformationem, addo colores, ſcripturam, picturas & talia;

Sæpe tacens vocem verbaq; vultus habet.

Vides me? ait Satyricus, *nec auguria noui, nec Mathematicorum cœlum curare ſoleo: ex vultibus tamen hominum, mores colligo, & cum ſpatiantẽ video, quid cogitet ſcio.* Prodeat in medium, Luciani ille mimus, qui coram Demetrio, Veneris adulterium & Mar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

tis; Vulcanum a Sole commonitum vtriſque ſtruentem inſidias; illos fabri technis irretitos; aſſiſtentes ſpectaculo Deos; ſuffuſam rubore Venerem; timidius ſupplicantem belli Deum; ac quæcunque fabella continet; ſolo motu geſtuque corporis, ſed tantâ perſpicuitate repreſẽtauit, tantâ venuſtatis gratia; vt exclamaret Demetrius, Audio quæ facis, nec video ſolũ, ſed ipſis etiam manibus loqui mihi videris. Simile quid de Neronis mimo legim[9] quẽ ſibi Regulus ille Græcus, nullâ aliâ de causâ exorabat, quàm vt cum vicinis Barbaris, quibus cum ſermonem communicare non poterat geſtibus loqui, poſſet.

Caput deiectum humilitatem; ſupinum arrogantiam; in latus inclinatum, languorem; prædurum ac rigens, feritatem notat. Ad C. Marium cum in Minturnenſi carcere eſſet, Cimber quidam, vt eum trucidaret, intromiſſus, ſolo magni illius viri aſpectu truci, ſic territus, vt re infectâ, pedem referre cogeretur. Nutus etiam, noſtram declarat voluntatem, & in mutis pro ſermone eſt.

Verna miniſterijs ad nutus aptus heriles.

Saluta-

Salutatio ſanè, frequẽter ſine voce intelligitur atq; afficit: & ex vultu, ingreſſuq; ſæpe habitus animorum perſpicitur. immo & animalium quoque ratione carentium, ira, lætitia adulatio, ex oculis, alijsque corporis ſignis, deprehenditur. Supercilia tollere ſignũ eſſe voluit Catullus, irati hominis, & qui alicui minaretur, huc pertinet illud Satyricũ *caperatâ fronte & conſtrictâ.*

Quid me ſpectatis conſtrictâ fronte Catones?

Nero, quùm promiſcue optimos quoſq; è medio tolleret; Pæto Thraſeæ, obiecit triſtiorẽ & pædagogi vultũ; ne ſine causâ in eũ ſæuire diceretur. Ambab⁹ manibus caput fulcire, mæſtitiã denotat: ideo M. Antonium ab Auguſto victum, cum a Cleopatrâ in nauim receptus eſſet; ad proram ſtatim tranſijſſe, ibique aliquamdiu tacitum & cogitabundum, caput ambabus tenuiſſe manibus, ſcribunt. Manu etiam ſilentium populo indicitur.

Indixitque manu placidoque ſilentia vultu.

Tiberius verò Gracchus, cum ſalutem ſuam populo commendaret, manum ad caput retulit. manuum ſublatio conſenſum quoque indicat. Manum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

inferiori deoſculandam præbere , beneuolentiæ ; manum alterius oſculandam prehendere, humilitatis ; manum Principis tetigiſſe, ſecuritatis olim ſignum:

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.

Genuum atque pedum geſtus in precationibus tum ciuilibus tum ſacris & religioſis, antiquiſſimus eſt. Veteres exorare aliquid volentes, genua amplectebantur, in ijs numen eſſe, & ſedem miſerationis arbitrati: qui mos hodie apud nonnullos humilitatem denotat. qui ſtans frequens, humilitatem denotat. qui ſtans adorat, tamquam iam veniam conſecutus, agit gratias. Barba demiſſa, capillorumque ſubmiſſio, id eſt ſi quis capillos non tondeat , mæroris & luctus olim ſignum. *Barba demiſſa*, ait Seneca, *ad vos ſordidatus veni*: Iulius Cæſar audita clade Tituriana , barbam , capillumque ſubmiſit ; nec ante demiſit, quàm vindicaſſet. Auguſtus Quintilij Vari ſtrage , adcò conſternatus , vt barba, capilloque ſubmiſſum caput, foribus interdum illideret.

Adſpice demiſſos, lugentis more, capillos.

Pari ratione oculos deijcere, verecundiã

plus

plus quàm modicam ſignificat. Apud Euripidem, Hecuba præ pudore, Polymneſtorem intueri non audet: pudebat eam, in tam calamitoſo rerum ſtatu conſpici, ab eo, cui aliquando florens erat viſa. Romani ad Furcas Caudinas, a Samnitibus ſub iugum miſſi, quamuis a Campanis ſocijs, benignè ſuſciperentur, ſub noctem Capuam ingreſſi præ pudore & iracundiâ oculos demisêre. Verecundiæ quoque indicium, partem corporis non denudari conſuetam, tegere. Cæſar ne tribus quidem & viginti vulneribus, quin verecundiæ obſequeretur, abſterreri potuit; ſiquidem vtrâque togam manu demiſit, vt inferior pars corporis, tecta collaberetur. *in hunc modum* (ſubiungit Valerius) *non homines expirant, ſed Dij immortales ſedes ſuas repetunt.* Caput iactare, contorquere, hac atque illac inflectere, furibundorum eſt; vel qui Bacchanalibus furibundos, præ nimiâ lætitiâ repræſentant. *ipſa crine fluxo thyrſum quatiens* (inquit Tacitus) *iuxtaque Silius hederâ vinctus, gerere cothurnos, iacere caput.* pollices quum faueamus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

premere, etiam prouerbio iubemur. Faſtidientium vero ſunt; exſibilare, explodere, obſtrepere, frendere, rumpi.

cuncti ſimul ore fremebant Dardanidæ.

Diutius forte quam par eſt, hiſce immorori de coloribus tamen, quorum mentio facta, addendum aliquid; nam & ijs, animi noſtri affectus declaramus. Luteus nuptijs dicatus & non ſolum in delitijs erant rubra ſandalia. ſed & lutei calcei. Candidus puritatis animi indiciũ: atratus lugentium: purpura calceique rubri imperantium; Erat apud Romanos vexillum cerulei coloris, quo educto, atque in arce poſito, ſatis conſtabat, milites ſiquid ſubitum ingrueret vt in re præcipiti, non iuſto delectu, ſed tumultuariâ manu arma expedire oportere Scribit Plutarchus, coccineam tunicam Romanorũ Impp: ſignum prælij fuiſſe. vel quod ſan: guineus ille color militem conſuefaceret, fuſum cruorem contemnere; vel ne Imperatoris ſauciati ſangui, videri poſſet: coccineo colore ſanguinem manantem ſuffarante. Sed colorum ſignificatio pro gentium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

gentium diuerſitate, diuerſa. Ego hic in-
terpellans. apparet ſane, inquam, nos
animi noſtri ſecreta, etiam tacente linguâ
ſæpè detegere, ſed quid inde? Te mihi
da inquit Pomponius & intelliges Hoc
ante omnia volo, vt qui SILENDI
prudentiam nanciſci ſtudet; non ſolum
ori frenum imponat. ſed corporis etiam
reliquas partes, atque adeo omnes geſtus
& actiones ſuas, temperet. ne

dictis facta reſiſtant.

non minus in geſtu quam in oratione,
ſolęciſmi vitium reperitur; quum aliud
voce, aliud nutu, vel manu demon-
ſtratur. Cum aliquando Smyrnæ Olym-
pici ludi celebrarentur, quibus Polemo
præſidebat; & actor ibi inſulſus, manum
in terram protendens, O Iupiter, excla-
maſſet; & ὦ γᾶ cęlum ſuſpectans &
manum eò dirigens. ibi Polemo homi-
nis imperitiam deteſtatus theatro ſe pro-
ripuit, his verbis ὁ τῇ χειρὶ ἐσολοίκισε. Si ge-
ſtus ac vultus ab oratione diſſentiant,
triſtia dicamus hilares, affirmemus aliqua
renuentes, non autoritas modo, adimi-
tur verbis, ſed etiam fides: *decor quoque a
geſtu & motu venit* ait Quintilianus. ideo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Demoſthenes, grande quoddam ſpeculum intuens, componere actionem ſolebat. Herodem Atticum, Sophiſtam celebrem, Regillæ vxoris mortem, cuius ipſe auctor fuerat, impotentius lugentem; quùm nigris aulæis, veſtibuſque nigris vteretur, ſed radiculis interim albis veſceretur, æmulo occaſionem ſcommatis dediſſe, ſcribit Philoſtratus. Huc illud trahi poteſt:

Amator ille triſtium lacernarum;
Et baticatus atque leucophæatus;
Qui coccinatos non putat viros eſſe;
Amethyſtinaſq; mulierum vocat veſtes;
Natiua laudet; habeat & licet ſemper
Fuſcos colores; galbanos habet mores.

Ab omnibus comis & mitis haberi vis; quî fit igitur, vt inceſſu delecteris ſuperbo? omneſque obuios faſtidiente? án non animaduertis, ob talia etiam maximos Principes exoſos? Tiberius Cæſar ante adeptum Principatum, incedebat ceruice rigidâ, & obſtipâ, adducto ferè vultu; *quæ omnia ingrata & arrogantiæ plena*, vt ait Suetonius, *& animaduertit Auguſtus in eo, & excuſare tentauit: Sæpe apud*

Senatum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Senatum palàm profeſſus, naturæ vitia eſſe, non animi, Sit in vultu tuo, cum dignitate quadam coniuncta hilaritas ; abſit humilis blanditia ; ne grauitati parum conſulamus: non auſteritas tua triſtis ſit, non diſſoluta comitas, ne inde odium, hinc contemtus oriatur.

Cari excipe dictum ſocij, fronte benigna:
Ne ſi vitreâ ſis cute, nutibus proteruis;
Suſpecta fides ſit tua, videare malignus.

Vis affabilis haberi ; & difficiles te alloqui cupientibus, aditus præbes: non conueniunt iſta. Præclarè itaque legati Lacedæmonij ; qui cum a Lygdami tyranno ad quem miſſi erant, legationis exponendæ facultatem, aliquoties, ſed fruſtrâ poſtulaſſent; reſponſumque tuliſſent, Principem non firmâ admodum eſſe valetudine; indignabundi regeſſerunt, ſe cum ipſo non luctandi ſed colloquendi cauſſâ veniſſe quanto melius Traianus de quo Plinius, *Hæret*, inquit, *lateri tuo quiſquis acceſſit, finemq; ſermonis ſuus cuiq; pudor, non tua ſuperbia facit:* Pergo: Quid te, obſecro, non vnâ linguâ eloquentem eſſe iuuat? ſi inter loquendum, ſub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

inde capite titubes ; os diſtorqueas ; ſputo faciem quibus cum tibi ſermo, a ſpergas, vel manibus ita geſticuleris, vt muſcas abigere uidearis?

Nimis hæc optima dicta deuenuſtant.

Modeſtus & grauis, videri vis : quî ergò fit, vt veſtibus vtaris, quarum forma hiſtrionica eſt, vel color, animi leuitatem prodit? Humilitati ſtudes & in veſtibus, ſupellectile, conuuijsq; modum excedis.

Quis furor eſt cenſus corpore ferre ſuos?

At diues ſum, inquis, ex opulentioribus. nil refert : alij te ditiores reperiuntur, qui nullo ſtrepitu; modico cultu; diſſimulatis facultatibus agunt : & diuitias magnas adminiſtrant, ſine oſtentatione, ſine ſuperbiâ, ſpecie mediocritatis. Vir videri vis: & muliebri cultu corpus exornas; capillum frangis, ad muliebres blanditias; vocem extenuas; & mollicie corporis cum fœminis certas. *Quô enim*, ait Satyricus, *ſpectant flexæ pectine comæ? quo inceſſus ſtudio compoſitus? & ne veſtigia quidem pedum, extra menſuram aberrantia?* Cultus mediocris, addit hominibus, vt græcus teſtatur verſus, aucto-

ritatem:

ritatem : at *muliebris & luxurioſus, non corpus exornat, ſed mentem, detegit*; ait Quintilianus. Aſpice matronam illam, quæ præ alijs, caſta videri vult; quum habitus corporis, petulantes oculi, & veſtes luxurioſiſſimæ, impudicam conuincant,

Vt ſpolia opprobrij noſtra per ora trahat.

Vel vtere veſtibus matronalibus, inquiebat ille *vel viue vt veſtis*. Non ſpectetur fucus in matronæ honeſtæ mundo; non pigmenta, non inſtrumenta; non medicamina faciei; cutis iſta mollitiem, formæ decorem, & colorem ita augent; vt minuant probitatis famam; quæ a virtute, non ab oris ſpecie & cincinnis, commendationem habet. Rurſus Catonem illum intuêre, quem præ ceteris magnanimum putabas & verè Catonem: Ecce minimo hic infortunio, quod ex tranſuerſo obuenit, fulminatus adeò incedit, vt quemuis taceat totus in vultu dolor ſit in quo hi Euclionis verſus facile leguntur:

Heu me miſerum miſerum perij, male perditus peſſime ornatus eo.

Tantum gemiti, & malæ moleſtiæ, hic dies mihi obtulit, famem & pauperiem.

Perditiſſimus ego, ſum omnium in terrâ.

Si quid

Si quid tibi ſors fecerit inimica ſiniſtri, prudens tege; ne certa ſis hoſtibus voluptas. Iam Palatinum aliquē nobis proponamus; qui omnes neruos eò intendit, vt Princeps cui famulatur, intelligat ſe ab ipſo amari; vt amor amorem gignat. is nihilominus, ſiue Princeps rideat, ſiue doleat, trux manet; Sicani ſaxi inſtar, quod neque ſyrenum cantu, neque fletu moueri vmquam potuit.

abſentem marmoreumue putes.

quid agis miſer? nonne vides aſperitatem iſtam inimicitiæ ſimilem eſſe? qui Principi, proſperos euentus non gratulatur, ſuſpectum ſe reddit. qui vero in principis ſui luctu, vel morbo, lætatur, ridet, vel conuiuia agitat, dignus eâ eſt pænâ, quâ Senatus Romanus L. Fuluium Argentarium mulctauit: is quod ſecundo bello Punico a feneſtris per meridiem in forum, roſeo ſerto coronatus, ſpectaſſet, carceri quamdiu bellum durauit, mancipatus vixit; vt intempeſtiuum gaudium quo, laborante patriâ, vſus erat, carceris moleſtiâ corrigeretur. Hæc ita intelligenda, vt nihilominus adulationem, aulæ

mancipijs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

mancipijs dignam, quâ nihil vilius, procul habeamus. vt coqui ſæpe, ſuauitate obſoniorum, ſic adulatores voluptatibus miniſtrandis, atque fouendis, animos magnatum corumpunt. Reperiuntur nō nulli, qui dum vrbani haberi volunt, & riſum affectant, vt gratiam captent; mimos, hiſtriones, immo ſcurras, geſticulando, in Principum etiam menſis, agūt, ſed adeo ineptè plærumque, vt mirer potentiores ea ferre;

quæ nec Sarmentus iniquas
Cæſaris ad menſas, nec vilis Galba tuliſſet:

Ineptum nimis eſt, vt alijs placeas, te ipſum abiectum & vilem facere. Anacharſis Scyta, ridicula facientibus, in conuiuium introductis, ſine riſu conſtitit. mox quùm ſimia illata geſticularetur, riſit, ac cauſſam dixit, quòd hæc quidem naturâ eſſet ridicula, homo comminiſceretur. Ad alia. Quid iuuat linguam, modeſtiam ſpirare, ſi actiones tuæ contrarium loquantur? vt ſi cum luxurioſis verſeris

Talem fore te dixero, qualis eſt ſodalis.
Vmbra eſt ſocius, vel tua, vel tu illius vmbra.

aut ſi loca ſuſpecta frequentes, vel impuris

puris ſpectaculis delecteris?

frons durior huius,
Qui ſedet & ſpectat triſcurria patriciorum.

M. Portio Catone ludos flores, quos Meſſius ædilis faciebat, ſpectante: Populus vt mimæ nudarentur, tacitè poſtulare cæpit: quod cùm ex Fauonio amiciſſimo ſibi, vnà ſedente, cognouiſſet: confeſtim è theatro diſceſſit; vnde Martialis

Cur in theatrum Cato ſeuere veniſti?
An ideo tantum veneras, vt abires?

quid denique prodeſt, ſobrietatem ſubinde laudare, ſi te menſa ebrioſum conuincit? dum non ſolum temetipſum ingurgitas, ſed alijs quoque incommoditatem iſtam obijcis, vt quantum tibi viſum, eos bibere compellas.

Vide quot cyathos bibimus,
tot quot digiti ſunt in manu.

Reſtat vt de ijs quoque loquamur, qui curioſi, alienorumque ſecretorum minimè appetentes videri cum velint, nihilominus ſi duos forte, ſecretius inter ſe muſſitare animaduertant, curioſitatem ſuam tegere nequeunt, quin ſe confeſtim ijs tertios iungant, & ſermones auidè auſçultent.

In con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

In conſilio quum videas duos loquentes
Abſcede libens:

vel ſi quis eis aſſideat, litteras forte legẽs, capite flexo quid ijs contineatur, vt reſciſcant, in chartam oculos conijcere, non verentur: non ſine ſpectantium ſtomacho. Et de ijs poſtremo qui maledicentiæ notam a ſe quam longiſſimè, tacendo, arcere ſtudent, ſed ſubinde linguam irridentis more, exerunt, vt quamuis ſermonem cohibeant, naſo tamen rhinocerotis, alijſque geſtibus, ſe irriſóres ſummos indicent. loqui eos mallem, etiam ſi male.

Riſus moderatus ſoboles certa decori eſt.

Sed, næ ego aquas pluuias colligam, ſi iſtius generis omnia, recenſere velim: exempla obuia

totidem quot meſſis ariſtas,
Sylua gerit frondes, eiectat littus arenas.

Hæc igitur ſufficiant: nam quâ ratione modus in qualibet actione tenendus, docere, difficile admodum, ſi non impoſſibile. Variantur officia, perſonis, temporibus, ætatibus, rerum natura, hominum moribus, locorum conſuetudine;

quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

quam quidem varietatem, ad vnguem perſequi, hominis eſſet accutiſſimè omnia proſpicientis. Summa horum eò redit; omnia non ſolum dicta, ſed facta etiam fugienda, quæ vitio nobis verti poſſint; & prouidendum cautè, vt geſtus noſtri, motus, inceſſus, ſtatus, ſeſſio, accubatio, manus, oculi, vox, omni ſuſpicione prauâ careant; ideſt, vt omnia noſtra ad æqualem normam dirigantur, ne

quem vultus honeſtat,
Dedecorent mores; animus quem pulchrior ornat,
Corpus deſtituat.

Homerus, ſapientiſſimo illi Vliſſi, ſummam actionum omnium moderationem tribuit; omnia rationi obtemperabant; vultui imperare poterat ne mutaretur; oculis, vt lacrymis temperarent; cordi, ne tremeret; linguæ, ne loqueretur. Quæſo quî fit vt honeſtiſſima illa Galbæ vox *legi a ſe militem non emi*, ipſi anceps fuerit? quia inquit Tacitus, cetera ad eamdem formam non erant. Sobrius numquam habebitur, qui Curios ſimulat & Bacchanalia viuit. Pomponius

hac vbi dicta dedit, pauſam facit ore loquendi,

& ſub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

& ſubiunxit. Vt quæ dixi non ſimulatè poſſideas mi filj, ante omnia animus tibi curandus eſt. nam quis ſis intereſt, non quis habearis. nulli nocentiores ſunt ijs, qui oris habitu, & triſti vultu, ſumtâ ſeueritatis perſonâ, tegunt vitia fœdiſſima & teterrima, foris fallacem, ac fictam ſanctitatem ementientes: quæ plerumque tamen ijs exitio eſt; quia ſimulatio detegitur. vt ſi quis induat veſtem alienã ſtaturá atq; habitu corporis diſſimilimus; nõ facilè arte efficiat, vt plane, illa ſibi apta videatur: ſic qui ſumit ſibi viri prudentis partes, a cuius moribus longe abſit: vulgò homines fortaſſe & ad tempus fallet, eos vero quorũ eſt acrius iudicium, fallet nũquam. id naturâ ab inuitis etiam extorquente, vt ijs per imprudentiam excidant, quæ ingenij ſint magis, quàm perſonæ.

difficile eſt imitari gaudia falſa,
Difficile eſt triſti, fingere mente iocum.

animus igitur curandus: ab illo ſenſus, ab illo verba exeunt: ab illo nobis eſt habitus, vultus, inceſſus. illo ſano ac valente, oratiò quoque & actio robuſta, fortis, virilis eſt: ſi ille pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

cumbat, & cetera, ruinam ſequuntur. *Animus*, ait Seneca, *rex eſt noſter. hoc incolumi, cetera manent in officio, parent, & obtemperant. cùm ille paullum vacillauit, ſimul nutant; cùm vero ceſſit voluptati, actus eius omnes marcent. animus rectus alia ſubijcit ſibi; ſe nulli.* Hic ego, interfatus iterum, tuo, inquam, mi ſenex ſermone me beas, & mærorem ſimul inijcis; arduum nimis eſt animum & corpus ita formare & fabricare, vt doces, vitam diſponere actiones regere, agenda & omittenda ſcire; atque per ancipitia fluctuantium, dirigere curſum. Arduum quidem inquit Pomponius, multis id viſum, qui nullis præſidijs aut adminiculis, haſce ſalebras tranſgreſſi;

& quibus vſu
Aſſiduo, ipſa ætas longa, magiſtra fuit.

illi etenim, prudentiæ hanc ſpeciem, ferendo aduerſa multa, æſtuando, algendo alia diſcendo, alia dediſcendo,

(Diſcipulus eſt prioris, poſterior dies)

adepti ſunt: tui alia ratio, cuius naturæ donum, educatio diligens iuuit, doctrina decorauit. Sed pergamus, & priuſquam de linguâ moderandâ quicquam

dicamus, illud paucis explicemus; quâ ratione, cum & lingua & actiones noſtræ tacent, loqui intelligamur. Id vero tibi ex Iuriſconſultorum libris noſſe facile eſt. Scis, vbi manifeſtus diſſenſus requiritur, eum qui tacet, velle intelligi. idcircò *taciturnitas*, ait ille, *confeſſionis genus eſt, contra aduerſarij interrogationem.* Si patre, exempli cauſa, præſente, filius Decurio creetur, & pater taceat, conſentire cenſetur. Heliogabalus grauiſſimum quemque ſenatorum percontari ſolebat, an promptus eſſet in Venerem? tacentibus & ſimul erubeſcentibus ſenibus, exclamabat, Erubuit, ſalua res eſt. Tacendo, quandoque contumaciam declaramus, quandoque attentionem: *Imaginor* inquit Plinius, *qui concurſus, quæ admiratio te, qui clamor, quod etiam ſilentium maneat: quo ego, quùm dico vel recito, non minus quàm clamore delector: ſit modo ſilentium acre, & cupidum vlteriora audiendi.* Silentio aliquando vltionem poſcimus. *Conſtat*, inquit Valerius Max. *iuuenem productum in roſtra, defixo in terram vultu, verecundoque ſilentio, plurimum in ſui vltio-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

nem valuiſſe. Eſt nonumquam ſilentium magnanimitatis indicium. *Arminij vxor,* ait Tacitus, *neque voce ſupplex, neque victa in lacrymas, compreſſis intra ſinum manibus, grauidum vterum intuebatur.* Certiſſimum ſæuæ cogitationis indicium, in irato homine eſt, ſi ſilentio iram occultet. Ceterum, clandeſtina aduerſus Principem conſilia qui iuuant, & qui reticent, eodem habentur loco. Si in Principis conſiſtorio minus honeſta proponantur, aut certe communi bono minus expedientia; & interrogatus taceas; non dubium te tacendo conſentire videri. Poſtremò qui amicum ſcripto, vel voce, compellare ſolitus, ſi deſiſtat, amicitiæ renunciaſſe videtur, *obſoleſcit quadam ſilentij rubigine, animorum fœdus* ait ille. Inter hos ſermones, puer, dominæ iuſſu, nunciatum venit, ientaculum more gentis paratum. Ego ad Pomponium qui me reſpiciebat, conuerſus, pueris ientacula ſinamus & valetudinarijs, ſermo hic tuus inquam, præ omnibus mihi cibis: quæſo ne interrumpamus: ille igitur puero dimiſſo, meditatione aliquâ interpoſitâ ſic perrexit

rexit. Quando ita vis mi fili, tempus poſtulat vt de ratione frenandæ linguæ diſpiciamus. Mentis quaſi veſtitus, verba ſunt, quibus induta incedit: e voce enim agnoſcimus hominem, etiam facie non conſpectâ: quemadmodum Protogenes Apellem ex vnicâ cognouit lineâ; ita ex vnico reſponſo, ingenium alicuius & prudentia deprehenditur, vel inſcitia. quot igitur verba facies, tot notas atque indices animi editurum te puta, quæ morum tuorum atque ingenij fidem faciant. *quoties* ait Cicero *aliquid aut dicimus aut loquimur, toties de nobis iudicatur.* Catoni inſigne illud redditit idem, vt eum dicat, nullum vmquam emiſiſſe verbum, quod emiſſum doleret. Ante omnia igitur ſciendum, prudenter tacentē notare prudenter loquentem; alterum ſine altero conſiſtere nequit.

Tam malum eſt tacere ſemper quàm malum eſt ſemper loqui.

immò ſæpe maiore odio dignus habetur tacens: quemadmodum a compotationibus inuinij; ſic a congreſſibus, lætis præ-

cipuè, muti iſti remouentur.

Triſtes taciturnos, vita, vt alta flumina.

Iam ad rem propius vt accedamus, in genere hoc velut regula, obſeruandũ, virum politicum, etiam multiſcium, multiloquum eſſe non debere. vt vaſa inania maximè tinniunt, ita quibus minimum eſt mentis, ij ſunt loquaciſſimi. *Natura rerum eſt, vt qui plus balbutiunt, plus loquantur*, ait Symmachus, *& impatientiâ linguæ commendationem ingenij quærant*. & alibi. *odi*, inquit, *in paruo corpore longa velamina. illa veſtis decenter induitur, quæ non trahit puluerem, nec in humum demiſſa calcatur.* cum Meandricum, fluxu delicatam veſtẽ humi protrahentem, cerneret Comicus, exclamauit; qualem demens iſte, chlamidem diſperdit. Rectè: enimuerò ea optima dicendi forma, quæ paucis multa comprehendit. quemadmodũ in nummis, ij pretioſiſſimi habentur, quibus materiæ dignitas, metallique præſtantia, non magnitudinis ratio, auctoritatem conciliat: contraque viliſſimi qui plurimum loci occupant. Pindarus Epaminundam laudibus tollens non facile alium ſe reperiſſe

periſſe ſcribit, qui plura ſciret, aut pauciora loqueretur. Recte Theodoricus Gothorum rex, qui ad Senatum Romanum ſcribens, *Nimis rarum eſt*, inquit, *Patres conſcripti, ſolidum loqui, & cui multa neceſſe eſt dicere. titubantia non proferre.* Lacedæmoniorum peculiaris olim laus erat, pauciſſimis verbis, plurimum ſententiæ complecti:

Cum res animum occupauere, verba ambiunt.

ſicuti ferrum attemperant Celtiberi, poſtquam in terram defoderint, ac redundans terreſtreque abſterſerint: ita & Laconicum dicebant ſermonem, nullis opertum corticibus, omnibuſque quæ ſuperfluunt reſectis; eam habere temperaturam, vt rerum modo vim efficacius exſequatur, exprimatque.

Eſt etenim comis breuitas: ſic fama renatum
Pythagoram docuiſſe refert, cum multa loquaces
Ambiguis ſererent verbis; contra omnia, ſolum
Eſt, reſpondebat vel Non. ô certa loquendi
Regula; nam breuius nihil eſt, nil plenius iſtis,
Quæ firmata probant, aut infirmata relidunt.
Nemo ſilens placuit, multi breuitate loquendi.

Principes præcipue viros, breuiloquentiam decere, Homerus oſtendit, qui Me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

nelaum argutè ſed breuiter loquentem facit *Apud frequentem militum concionem* (ait de Galba Tacitus) *imperatoriâ breuitate, adoptari a ſe Piſonem exemplo Diui Auguſti & more militari, quo vir virum legeret, pronunciat.* Phocion, aliquando quid meditaretur? interrogatus: reſpondit ſe, in id niti, vt orationem quam apud populum habiturus erat, præcideret: idẽ Carolo V. Imperatori adſcribitur. Ineptiſſimum eſt, ſi ad multitudinem verba tibi facenda, vel in ſenatu, vel in conſilijs Principum; oratione prolixâ nimis, vel in ſpeciem nimis elaboratâ vti, aut ſententias ac rationes nimis recõditis e locis erutas, nimisue longè accerſitas vſurpare. Auguſtus Cæſar, genus loquendi vt teſtatur Tranquillus, ſequutus eſt elegans & temperatum: vitatis ſententiarum ineptijs, atque inconcinnitate & reconditorum verborum fætoribus; præcipuamque curam duxit, ſenſum animi quam apertiſſimè exprimere. Hiſce poſitis, primo de ijs verba faciemus, quæ vbique & apud omnes tacenda; tùm de ijs, quæ in ſermone cauenda. illius generis ſunt

ſunt omnia quæ maieſtatem diuinam vel minimum & per conſequens, lædere videntur; vt ſi quis dicto aliquo S. S ſcripturæ ad riſum excitandum abuti audeat; qui mos aulicis nonnullis plus ſatis frequẽs; vel ſacerdotes ſcurriliter inſectetur; nam vt de Diuinâ vindictâ nihil dicam, quæ lento ſæpè, ſed certo gradu procedit,

Sera vltio grauiſſima venit impie.

certum eſt bonorum virorũ aures, his & ſimilibus ſermonibus ſummopere offendi. De Princibus quoque: Magiſtratibus; alijsque magnatibus potentioribus, malis licet & abſentibus, non niſi honorificè loquendum; id ſi verè fieri non poteſt, tacendum. *Quam promptum laudare Principem, tam tutum ſiluiſſe de Principe.* hominis nimis eſt arrogantis, de tantis viris, iudicium ſibi ſumere. vnde damna ſæpe quam plurima metuenda.

An neſcis longas regibus eſſe manus?

vtilitas autem nulla. Si apud Principem tuum de magnatibus alijs liberius loquaris; facilè eò is inclinabit, vt ſibi idem a te aliquando, exſpectandum ſtatuat. ſi apud æquales, hi hoc inde colligent: Lin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

guam quæ magnatibus non parcit, minoribus multo minus datâ occaſione parſuram. Hæc eò vſque extendenda vt omnibus etiam facetijs in eos temperemus, *quarum apud præpotentes, in longum memoria eſt*, ait Tacitus. Cum Teleſephorus vir potens, in conuiuio quodam, aduerſus Arſinoem, Lyſimachi Regis coniugem, dicteria conieciſſet; eum Lyſimachus confeſtim in caueam conijci, moreque feræ circumferri ac nutriri ad mortem, iuſſit. Sotades Cretenſis ſimili de cauſsâ plumbeo vaſi incluſus, in mare demerſus miſerè perijt. Notum illud Tiberij eſt; qui cum ab Auguſto Pop. Romano legata ſoluere differret; & forte coram eo, mortuus efferretur; exclamaretque Mimus quidam, mortuum compellando. refer Auguſto, nondum pro eius legatis, populo Romano ſatisfactū: mimo quidem, pro eius parte ſatisfecit. ſed eum paullo poſt interfici iuſſit, vt Auguſto nunciatum iret, jam cepta eſſe eius legata perſolui. Ab omni quinetiam mendacio ſummo cauendum, immo ab omnibus vero non ſimilibus dictis.

Nicer-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Ni certa ſcias, cuncta quaſi incerta relinque
Mendace nihil tetrius, eurratinſq;.

ab adulatione præcipue, mendacij genere viliſſimo & pernicioſiſſimo, quod fit placendi cupiditate ab iis, quibus Principũ honeſta atq; inhõeſta, laudare mos eſt. *Væ illis, ait ſacra pagina, qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus: & ceruicalia ſub caput magnatum: ad hoc enim puluillus ponitur, vt melius quieſcatur. quiſquis ergo male agentibus adulatur, puluillum ſub caput vel cupitum iacentis ponit, vt qui ob culpam corripi debuerat, in eâ fultus laudibus molliter quieſcat.* ſed neque mendacium hoc diuturnum eſſe poteſt.

Adulator eſt florens breui flos tempore;
Cano paraſito nullus eſt qui gaudeat.

Contingit interdum, vt dum Principes demereri ſtudemus, ſummè offendamus; adulationibus nempe tam apertis, vt irriſionis ſpeciem præ ſe ferant; vt ſi timidiſſimum Achilli, vel Herculi compares; famoſæ iniquitatis iudicem Ariſtidi preferas, *hoc pretium* ait Tacitus, *Gallio, meditatæ adulationis tulit, ſtatim curiâ, dein Italiâ exa-*

liâ exactus. Et quia incuſabatur facile toleraturus exſilium, dilecta Leſbo, inſula nobili & amænâ; retrahitur in vrbem, cuſtoditurque domibus magiſtratuum. A minis quoque omnibus: vanis præcipue & intempeſtiuis, abſtinendum

ne minitare verbo:
Nam ſiue potes perficere: admonere ſtulti eſt
Seu non potes, es bellua, ſtultiorque ſtulto

Ab ijs item dicterijs, quæ in plures conueniunt, vt ſi aut nationes totæ inceſſantur; aut ordines; aut conditio; aut ſtudia multorum: nihil odioſius, perturpe & illud, ſi quod obijcitur in obijciente cognoſcatur, qua de re paullò poſt.

Multi quum alijs maledicunt ſibi ipſis
Conuicium faciunt.

In miſeros pariter dicere inhumanus ſemper iocus; vel quia culpâ carent; vel quia recidere etiã in ipſum qui obiecit, poteſt.

In calamitoſo, riſus etiam, iniuria eſt
Cuiuis poteſt contingere, quod cuiquam poteſt.

Obſcena, citra controuerſiam huc pertinent. nec verba modò noſtra, & dicta impura vitanda; ſed aliena etiam, & narrationes omnes quæ modeſtiam non ſpirant. nam millies licet illud nobis ogganiant,

Laſciua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Laſciua eſt pagina vita proba,

item illud

Laſciuus verſu mente pudicus erat

numquam cordatis viris perſuadebunt, ſermonem non eſſe hominis characterem, *imago animi*, ait ille, *ſermo eſt*; qualis vir talis oratio.

Dat quiſque foras talia, qualis intus eſt mens.

Senecæ patri, viro ceteroqui prudentiſſimo, vt & Suetonio, vitio id vertitur, quod ſcelera interdũ ſic deſcribant, vt ridere potius, quàm odiſſe videãtur; docere, quàm deteſtari. Talis apud Senecam obſceniſſimus excurſus de ſpeculorum vſu, & apud Suetonium de nefandis, Tiberij, Caligulæ, Neronis & Domitiani, amoribus. non ita Virgilius qui cum infauſtum illũ Æneæ & Didonis congreſum deſcriberet,

Speluncam (inquit) *Dido, dux & Troianus eandẽ*
Deueniunt:

Vlterius progredi vetuit pudor. idem de Homero dici poteſt, in quo caſta omnia & modeſta. Si igitur aliorum quæ a modeſtia diſcedunt, dicta & facta, tacere tenemur, quanto magis turpitudinem noſtram tegere? vt deteſtandi illi prorſus veniant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

veniant, qui ſuas ſcortationes & adulteria, tamquam heroica facta recitare gaudent. ad exemplum Proculi Imperatoris, qui paſſim gloriari ſolebat, ſe centum ex Sarmatiâ virgines cæpiſſe: ex his vnâ nocte decem iniuiſſe; omnes tamen mulieres intra dies quindecim reddidiſſe. vel Mediolanenſium illius Tyranni, qui cõſtupratis nobiliſſimis matronis, pari impudentiâ facinus iactare conſueuerat. *Ego certe*, ait alicubi Apuleius, *pro meo captu dixerim, nihil minus quàm oris illuuiem libero & liberali viro competere.* Apagete omnes qui in proprio vos volutatis cæno. Feles excrementa ſua, terrâ obruere & ſic occultare ſueuerunt; & vos beſtijs ſcilicet magis belluini, veſtra detecta eſſe vultis. Nihil in vitâ & moribus honeſtate amabilius.

Tranſibit ſermo in affectum, ſi honeſta loquamur. Honeſtas porro vocabulorum, in eorum vel ſono conſiſtit, vel ſignificatione. ſunt enim vocabula rem honeſtam ſignificantia; quæ voce & ſono, inhoneſti aliquid habent. vbi igitur talia occurrunt; vitanda, vel alia ſubſtituenda, vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

venia præfanda. Quid de pertinaciâ dicemus & contentionum ſtudio?

Contende parum; fungea victoria iurgij eſt.

Laudatus fuit Alcibiades, quùm tibiam, quæ oris habitum deformat, abieciſſet: in eo Mineruam æmulatus, ſapientiæ præſidem; quæ cum ad ſpeculum tibiâ caneret, proiectam, offenſa oris deformitate, comminuit, quod quidem quantò accuratius, vir politicus cauebit; quem maxime decet, ad ſapientiæ normam, componere mores. Indignum, ſi te forte, ex miniſterijs quiſpiam, aliuſue, improbè facto, vel temerè dicto laceſſiuit; continuo quaſi de mentis ſtatu turbatus, fœdum in modum, labris diſtortis velitari; & cani rixanti, quàm homini ſimilior, furere, æſtuare, conuicijs inceſſere: vt non ſolùm domus, ſed tota quinetiam vicinia, incōditis perſonet clamoribus. *Nihil graue,* ait Seneca, quod *leuiter excipis; nihil indignandum niſi quod indignando aſtruis.* Notū illud; qui ſeruis crudelis eſt, in alios oſtendit voluntatem nō deeſſe, ſed facultatem. Non minus fugienda, leui ſæpe de cauſsâ, facta iuramenta: *Nil*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Nil iura, volet qui tibi credere credet.

& exprobationes omnes

Oſtendere ſi cui benè feceris, cauto;
Omnino perit gratia ab exprobratione,
Atque ſine benefacto pretium illico eſt ſolutum.

noſti illud quoque

Crede mihi quamuis ingentia Poſtume dones
Auctoris pereunt garrulitate ſui

Quid multis? quæ factu turpia, ea & dictu turpia. Tacenda perſequi omnia, mei nec inſtituti, nec ingenij: hæc veluti digito demonſtraſſe, ſufficiat. Silentium hic breue interponens ſenex; Oculos inquam ego, mihi hiſce aperiri ſentio; & iam quomodo iſta quandoque aptare poſſim, cogito. Sed reſtat vnum, quod te tãgere optarim: De Arcanis. Bene mones, ait Pomponius, illuc ibam. Arcana ſiue tua; ſie aliorum, tuæ fidei commiſſa, arcana manento:

Secreta amici, conde theſauri loco.

Notatus fuit Auguſtus, ab eius ſæculi prudentioribus, quod impudicitiam filiæ ſuæ Iuliæ, & ſic domus propriæ arcana diuulgando, ſibi ipſi & infamiam & orbitatem attulerit. Filiam etenim vnicam relegare coactus eſt; quam ſuo ſilentio, domeſtico im-

co im-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

co imperio, ideſt curâ & diligentiâ priuatâ, cõpeſcere potuiſſet, ſalua exiſtimatione. Exſtat Marcello digna vox: Si tunicam huius mei arcani conſciam arbitrarer, eam e veſtigio in ignem conijcerem.

Nunquam ſciat induſium, quod toga pararis.

& quod tacere vis alios tu prius taceto. Enimuerò rectè Philoſophus, ſicut μον ς inquit, ſuos non egreditur limites; ſed vnum perſeuerat; δύας vero, eſt differentiæ indefinitum: ſtatim enim a ſe deficit, duplicatione in multitudinem abiens. pari ratione ſermo ab vno non recedens, verè arcanus eſt; at ſi cum alio communicetur iam famæ conſecratur. Quemadmodum qui lapidem iecerit etſi mittendi poteſtatem habuerit, non habet tamen poſtea retinendi; ita qui arcanum miſſum fecerit, numquam adſequetur, vt idem poſſit velut poſtliminio redire. Fruſtra mulierum illud ei ſuccinueris, in cuius ſinum arcanum depoſuiſti: hæc tibi ſoli dico; quæſo apud te ſint iſta; vt ancilla Apuleina: *quæcunq;* inquit, *huius religioſi pectoris tui penetralibus commiſero ſemper hæc intra conſeptum, clauſa cuſtodias oro: noſti*

ſilentij fidem : nam is ſimili ratione, ea cum alio communicabit. & ſi tibi non imperaſti, quomodo ab alio ſilentium ſperas? Hæc in priuatis, tum proprijs, tum alienis: quibus addo

Olim tibi qui credidit arcana ſodalis,
Si ſors inimicum faciet; nulla recludes.

In ijs quę tibi a magiſtratu tuo comiſſa, non minore; immo maiore curâ, opus. *Ornat* (inquit Caſſiodorus) *virum, Principis ſecretum; dum nullis æſtimantur neceſſaria poſſe committi, niſi qui fuerint fide magnâ ſolidati.* Lex Ægyptiorum iubebat illi abſcindi linguam, qui arcana Reipub. alicui detexiſſet.

Commiſſa tacere qui nequit is niger eſt.

a quo magnæ res ſuſtineri non poſſunt. Epaminondæ Thebano inter alia inſigne illud reddit, Æmilius Probus, quod eſſet commiſſi imprimis celans.

Commiſſa tege fideliter, aut ne auribus hauri.

Pompeij celebratur virtus, qui dum legationis officio fungeretur; a Gentio Rege interceptus, quùm Senatus conſilia prodere iuberetur; ardenti lucernæ, digitum

creman-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

cremandum præbuit : eâque patientiâ, Regi ſimul & deſperationem, tormentis quicquam cognoſcendi, excuſſit, & expetendæ amicitiæ Pop. Rom. magnam cupidinem peperit. *Fidum erat*, ait Valerius Max *& altum Reip. pectus; curâ ſilentijq; ſalubritate, munitum & vallatum vndiq; : cuius limen intrantes, abiectâ priuatâ charitate, publicam induebant. itaq; non dicam vnum, ſed neminem audiuiſſe crederes, quod tot auribus fuerat commiſſum.* Omitto lubens, quamplures alios, arcanorum tenaces,

Aduerſum ſtimulos; laminas; cruceſq;, cōpedeſq; ;
Neruos; catenas; carceres; numellas; pedicas; bocas.

Porrò, quia animus ebrietate deuictus; in ſuâ non eſt poteſtate; a vini ingurgitatione, diligenter cauendum. quemadmodum muſto dolia rumpuntur, & omne quod in imo iacet, in ſummam partem, vis caloris eiectat; ſic vino exęſtuante, quicquid in imo iacet abditum, effertur & prodit in medium. Vetus illud eſt; in ebrij linguâ natare, quod latebat in corde ſobrij. *Onerati mero*, ait Seneca, *quemadmodum non continent cibum, redundante vino; ita ne ſecretum quidem, ſuum alienumque*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

cum uini vis penetrauit,
Conſequitur grauitas membrorũ; præpediuntur
Crura vacillanti; tardeſcit lingua, madet mens;
Nant oculi; clamor, ſingultus, iurgia, gliſcunt.

Ceterum, arcanorum tibi commiſſorum voce, non ea ſolum intelligo, quæ conſilia ſecretiora ſpectãt; ſed ea etiam omnia, quæ extra Senatus fores, Princeps, ſiue priuatus; vicinus puta, vel amicus tuus, veriſimiliter occulta eſſe cupit.

Aliena prudens diſſimula, nec obloquare.

Numquamne aduertiſti, ſputum quod magnates excreant, ab aſtantibus pueris confeſtim pedibus teri? horum ſimilis ratio eſt. Quæ igitur Princeps intra cænaculi ſui parietes; vel vicinus tuus, liberius fecit vel dixit, ſi referre ſine diſcrimine gaudeas; (vt nonnulli ſolent aulici qui linguam non aures, perforare, vel ſaltem paſcere deberent; dum tertio quoque verbo iſta in ore habent: Princeps meus cum ſurgeret, hoc hodie dixit, id heri fecit, illud iam in animo habet) odio digniſſimus habeberis, & loquaciſſimi nomen haud effugies. loquacitas enim non tantum dicitur, reſpectu multorum verborum, quam ratione ſubiecti; de quo non oporret; vel, quando non oportet

vnde ſi fidem ſpectes, interdum perfidia; ſi conuerſationis gratiam, moleſtia plærumque metuenda. Hîc, antequam cetera perſtringam, non minoris periculi rem eſſe aio, in aliorum; tum vel maximè belli ducum & Pricipum arcana inquirere, quàm ea prodere: quod duo illi milites Maximini, ob curioſitatem, ante ſenatus fores interempti, alijque quàm plurimi teſtantur. Eleganter Otho apud Tacitum, *Tam neſcire quædam milites quàm ſcire oportet. Parendo potius commilitones, quam Imperia ducum ſciſcitando, res militares continentur.* Nec minus grauiter apud Liuium Paullus Aemilius, *Militem dicit hæc tria curare debere; corpus vt quam validiſſimum & perniciſſimum habeat; arma apta; animũ paratum ad ſubita Imperia: cetera ſcire de ſe, Dijs immortalibus & Imperatori ſuo, curæ eſſe. In quo exercitu milites, cõſul & Imperator, rumoribus vulgi circumagantur, ibi nihil ſalutare eſſe. ſe, quod ſit officium Imperatoris, prouiſurum, vt bene gerendæ rei occaſionem eis præbeat: illos nihil quod futurum ſit, quærere; vbi datum ſit ſignum, tum militarem operam nauare.* Quod de militibus dixi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

mus, aulicis quoque dicimus. ne ex fidis miniſtris, exploratores facti videantur. *Abditos*, ait Tacitus, *Principis ſenſus*, *& ſi quid occultius parat, exquirere, inlicitum, anceps; nec ideo aſſequare.* quod Aſinij Galli exemplo docet. Tiberius Cæſar nulla re magis dolebat; quam quùm animi ſui ſenſus ſecretiores, detectos animaduerteret. *Itaque patribus hic vnus metus ſi intelligere viderentur.* piſcatori ſanè, qui ſibi Capreis ſecretum agenti, grandem mullum inopinanter obtulerat; perfricari eodem piſce faciem iuſſit. quid quæſo egiſſet, ſi ineptias nonnullorum aulicorum vidiſſet, qui ſummo ſtudio, expiſcantur, quid rex in aurem reginæ dixerit, quid Iuno cum Ioue fabulata. Laudabile profecto magni illius viri inuentum, qui a curioſo quodã interrogatus, quid Cæſar ei in aurem, longo adeo ſermone dixiſſet? Inaudiſſe Cæſarem reſpondit, curioſos in aulâ nonnullos reperiri, qui in eius arcana inquirant, hos ſeuere puniendos. & iam de genere ſupplicij ſermo. Obmutuit alter, nec poſtidea curioſé quicquam rogare viſus. *Ego numquam*, ait ali-

cubi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

cubi Apoleius, *ſtudui malefacta cuiuſquam cognoſcere, ſed ſemper potius duxi, mea peccata tegere, quam aliena inda gare.* Quæri hic poſſet, an omnia ad oſtentationem dicta fugienda veniant. Dubitationem mouet, quod magnos interdum viros, meritorum ſuorum quâdam fiduciâ ſe ſuaque iactaſſe legamus. Exſtat apud Liuium Scipionis Africani oratio. *Hoc inquit die, Tribuni plebis, voſque Quirites cum Annibale & Carthaginienſibus, ſignis collatis in Africâ benè ac feliciter pugnaui. Itaque cum hodie litibus & iurgÿs ſuperſedere æquum ſit; ego hinc extemplo in Capitolium ad Iouem Opt. MAX. Iunonemque & Mineruam, cæteroſque deos, qui Capitolio atque arci præſident, ſalutandos ibo: hiſque gratias agam, quod mihi & hoc ipſo die, & ſæpè aliâs, egregiè Reip. gerendæ mentem, facultatemq; dederunt. Veſtrum quoque, quîs commodum eſt, ite mecum Quirites: & orate deos, vt mei ſimiles Principes habeatis: ita ſi ab annis ſeptendecim ad ſenectutem, ſemper vos ætatem meam, honoribus veſtris anteiſtis, ego veſtros honores, rebus gerendis præceſſi.* Quis vmquam de ſeipſo locutus præclarius? nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

tamen vitio id Scipioni datum. vel quod virum magnum de Rep. benemeritum, ſi indignis habeatur modis, meritorum ſuorum erga Remp. cõmemoratio, non dedeceat; noſti illud *ſume ſuperbiam quæſitam meritis.* vel quod diem ſibi dictam, hoc aſtu, produxerit quò facilius in Linternum concederet; certo conſilio, ne ad cauſſam dicendam adeſſet. *Maior animus* ſubiũgit idem *ac natura erat ac maiori fortunæ aſſuetus, quam vt reus eſſe ſciret, & ſubmittere ſe in humilitatē cauſſam dicentium.* Non igitur omnis oſtentatio, ſed affectata tantũ & inepta, quæ in animos magnos non cadit, fugienda. Defenditur decora iactatio aliquatenus, ætate, dignitate, auctoritate quæ tamen vix in vllo tanta fuerint. Non herclè reprehenditur illud Oratoris; *Quid putem? contemptum néme? non video, nec in vitâ; nec in gratiâ; nec in rebus geſtis; nec in meá hac mediocritate ingenij quid deſpicere poſſit Antonius.* At reprehenditur Antonius Primus, egregius ceteroqui dux, quod is nimius eſſet commemorandis quæ meruiſſet. Cicero poſt oppreſſum Catilinam vbiq;

ſiue

ſiue in ſenatu, ſiue in concione, ſiue in iudicijs in ore Catilinam habebat, & Lentulum.

O fortunatam natam me Conſule Romam.

quâ importunâ oſtentatione, odium ſæpe, etiam meliorum incurrebat. Exſtat haud abſimile de re, Martialis elegans Epigramma,

Os atavi, patris naſum duo lumina Patris;
Et matris geſtus dicis habere tua.
Cum referas priſcos, nullamque in corpore partem
Mentiris; frontem dic mihi cuius habes.

Ineptiſſimus eorũ mos eſt & moleſtiſſim⁹ qui poemata ſua aliaue ſcripta, ſubinde obuio cuiuis recitãt, laudem inde captantes

Et ſtanti legis & legis ſedenti;
Currenti legis & legis cubanti;
In thermas fugio, ſonas ad aurem;
Piſcinam peto, non licet natare:
Ad cœnam propero, tenes euntem;
Ad cœnam venio, fugas ſedentem.

quanto prudentius alter

Non recito cuiquam, niſi amicis, idque coactus
Non vbiuis, coramque quibus libet.

quid autem de ijs dicemus, quibus nihil aliud ferè in ore, quam laudare nobilitatem, honores, liberos, vxorem, diuitias?

Iactator erit ſtultitiæ ſuæ diſertus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Hiſtrio: ſi quidem ipſo illa tacente neſciebam
Quod tu es, ſtolidi eſt dicere: quod nec es, miſelli.

Si apud æque nobiles te iactes, æque honeſtos & ſtrenuos, quid aliud agis, quam te eis opponere? ſi apud inferiores, quid aliud, quam eis vilitatem & miſerias exprobrare? quorum neutrum placere poteſt. *Habet*, ait Quintilianus, *mens noſtra, naturâ ſublime quiddam & erectum, & impatiens ſuperioris: ideoq; abiectos, aut ſubmittentes ſe, libenter alleuamus; quia hoc facere tamquam maiores videmur: & quoties diſceſſit æmulatio, ſuccedit humanitas.* Extenuatio ſui ipſius, non quidem adeo odioſa, fugienda tamen: quâ nos vel virtutes non noſſe, vel contemnere, indicamus. *Viliter ſeipſum colere*, ait Apuleius, *ſui contemptus eſt. barbare alios inſectari, cõtumelia.* Prudenter Agricola; qui nec ſe depreſſit vmquam; nec in ſuam famam geſtis exſultauit. ad auctorem & ducem, vt miniſter, fortunam referebat: *ita virtute in obſequendo, verecundiâ in prædicando, extra inuidiam, nec extra gloriam erat.* Atque hæc ferè, de ijs dicta ſufficiant, quæ viro ad magna nato, ſemper & vbique

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

vbique tacenda. nam de ceteris, vt de iniuriâ, contumeliâ, & alijs, quæ noſtram, vel aliorum verecundiam pietatemque lædunt; vel inania, doloſa, irriſoria Sophiſtica, vel ſeditioſa; prolixius verba facere, nullius res commodi. *An non ſummam contumeliam*, ait Medaurenſis, *vobis imponit, qui vos arbitratur maledictis optimi cuiuſque gaudêre? & vitioſa verba non intelligere? aut ſi intelligatis, boni conſulere?* Ad ea igitur tandem deueniamus, quæ in ſermone obſeruanda: vbi illud initiò repetendum. Neminem tacendi laudem mereri, cui loquendi deſit prudentia. Vulgare iſtud nimis eſt; non hîc tamen omittendum, nam *Numquam nimis dicitur, quod numquam ſatis diſcitur.* Naturam homini linguam vnicam, duplices aures dediſſe, vt intelligeret plus duplo ſibi audiendum, quàm loquendum: cuius ſententiæ non diſſimile fertur Theognidis carmen, merito de ſtultitiâ hominum querentis: cum vulgò plura habeant occultanda, quàm efferenda; ab his, linguæ foribus, peſſulum nullum obdi. Linguæ peſſulum, ſine

dubio

dubio, ſiue temperantiæ legem vocauit quandam, & modeſtiæ, ſiue pudoris & verecundiæ, quam liberi homines ſibi imponunt, vt animum, præcipitem ruentem, per verba extra dentium vallum volantia, detractis pinnis coerceat, & rationi parêre cogat. Si quid enim in pectore lateat, quod proditúm offendat, præſtat alto ſilentio obrutum inuolui: ſin adſunt laudanda, ſperandum eſt quo rarius elata audiantur, eo cariora præſtantioraque futura. Ridiculus nimis eorum mos eſt, qui interroganti reſpondent, priuſquàm is dicendi finem fecerit: quâ celeritate, abſurda ſæpè, ne quid aliud dicam, (quoniam rem propoſitam non perceperunt) in medium proferre coguntur. Quemadmodum per procliue currentiũ, non vbi viſum eſt, gradus ſiſtitur, ſed incitato corporis pondere ſe rapit ac longius quam voluit, & quo non voluit, effertur:

vt ſaxa iugis abrupta quibus mons
Subtrahitur, cliuoque latus pendente recedit;

ſic iſta dicendi celeritas, nec in ſuâ poteſtate eſt, nec ſatis decora. Rectè veteres, orationem dicebant, non in linguâ ſed in

corde

corde naſci debere ; vt ſcilicet priuſquam os aperiamus , omnia circumſpiciamus, audiamus, rimemur ; ne quid præter rem, aut parum commodum proferamus , ἢ λέγε τι, σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὴν ἔχε. Sicut numquam peritus iaculator, telum mittit, quin prius animo ſcopum præmeditatus fuerit ; ſic nemo loqui prius debet quàm perpēderit, in quem finem dicat & quem habitura ſint verba exitum ; quùm certum ſit, reuocari non poſſe : & quid poſtremò, inde mali metuendum.

Verbis, animi lumina præuenire ſtulti eſt;
At tu melioris genij prouida proles,
Linguæ in medio turbine compos atq; victor,
Audire citus, dicere lentus atque cautus.

In rebus omnibus, magni præcipuè momenti, res eſt imprimis vtilis , a conuerſatione hominum ſe ſubducere, vt ea quę vel Reip. vel tibi conducibiliora ſunt, inuenias, & meditata in medium proferas. Magnus ille Africanus, antelucanis horis, cottidiè in Capitolium aſcendens in templo Iouis, quæ ſibi dicenda eſſent , vel facienda contemplabatur.

Quicquid dicturus es, antequam alij dicas, dicito tibi.

ad

ad illius exemplum; *qui*, vt Varro loquitur, *priuſquam in Orcheſtrâ inflaret tibias, domi ſuæ ramices rumpebat*. Sed ad priuata colloquia vt redeam; conſiderandū, vbi quis; quâ cauſsâ; quando; apud quem; & quid dicas. Non ſapiet qui vel vxoris, vel vnici filij obitum deplorantem, de nuptijs alloquatur.

Quis matrem, niſi mentis inops, in funere nati
Flere vetat? non hoc illa monenda loco.
Cum dederit lacrymas, animumq́ꝫ impleuerit ægrū
Ille dolor verbis emoderandus erit.

Nec minus ineptum eſt, inter epulas, animum eorum qui lætitiæ cauſsâ conuenerunt, mæſtis narrationibus perturbare, de ſupplicijs puta & carnificinâ, de tragicis caſibus & horrendis ſpectris:

exhilarare viris conuiuia cæde
Moſelim, & miſcere epulis ſpectacula dira,
Certatum ferro, ſæpe & ſuper ipſa cadentum
Pocula, reſperſis non parco ſanguine menſis.

pauci tam firmi, qui talibus non commoueantur. Præclara multa reperiuntur, quæ non ſuo loco vel tēpore dicta; vel ridicula vel odioſa apparent. Ideo Tiberius Ilienſium legatis, ſerius ſe, de obitu Druſi filij conſolantibus, quaſi obliteratâ iam doloris me-

ris memoriâ, nõ ſine riſu reſpõdit, ſe quoque vicem illorum dolere, quod egregiũ ciuem Hectorem amiſiſſent. In omni familiari conſuetudine, nihil accomodatius ſermone mutuo, qui fit quærendo & reſpondendo: ſed ſi interroges quæ alteri ruborem incutiant, ingratiſſimus eris; vt ſi quis ſuâ negligentiâ infeliciter quid geſſerit; ne obijcere videaris; vel quæ alium ſecreta velle ſuſpicemur; vel quorum inſcius ille ſit & imperitus. vt cothurni laus eſt ad pedem apte conuenire, ſic ſermonis appoſitè ad rem. Norma ex auro facta; ſi recta non eſt, res quidem eſt pretioſa at norma nullo modo eſſe poteſt; nam munus ſuum operis dirigendi, cuius cauſſa inuenta, præſtare nequit: contra, ſi recta ſit, ex quamuis vili materiâ fabricata, nullius quidem pretij res, norma tamen erit, eadem ſermonis ratio eſt

vt in fabricâ ſi praua eſt regula prima
Normaq; ſi fallax, rectis regionibus exit,
Et libella ex parte aliquâ ſi claudicat hilum,
Omnia mendoſe fiunt.

Malorum genera reperiuntur, quæ non vult qui pertulit vel tranſacta meminiſſe, ita vt de ijs rogatus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

non minus offendatur, quã cum in ipſis malis. Cùm apud Poetã Dido ab Aeneâ, Troiani excidij hiſtoriã peteret reſpondit;

Infandum, regina iubes renouare dolorem

Qui venatibus gaudet interrogetur de ſyluæ ambitu, de ambage luſtrorum, de canibus de venationis euentu *Illum ſi potes, ſæpe ad narrandum prouoca* ait apud Macrobium Auienus, *qui recitando fauorabiliter exceptus eſt, vel qui legationem liberè & feliciter peregit; vel qui ab Imperatore comiter, affabiliterque ſuſceptus eſt: vel ſi quis totâ penè claſſe à pyratis occupatâ, ſeu ingenio, ſeu viribus ſolus euaſit.* Interrogari de legibus Iuriſconſulti gaudent; de verſibus poetæ; de harmoniâ muſici. Iuuat ſi quem dicere iuſſeris, amici ſui repentinam felicitatem; quam ſponte non audebat, vel tacere vel dicere; hoc iactantiæ, illud malitiæ metu. Nec dubium eſt qui inſulas nouas obierunt, multum gaudere quum de ignoto illo terrarum ſitu vel ſinu maris interrogentur, libenterque reſpondere & deſcribere modo verbis, modo radio loca omnia, glorioſum putantes, auditores ab ore ſuo pendulos tenere.

magnas

magnas obeuntia terras

Tot maria intraui.

Non minus igitur eruditi eſt & vrbani interrogare, quam reſpondere. De abſentibus, vt diximus, quorum mores non ſuppeditent materiam dicenti, ad laudandum, haud temere loquendum. ſi ab alio impuri aut ſcelerati, mentio fiat, ad audiendum quàm ad loquendum paratiores nos eſſe conuenit. parietes ſæpe, pauimenta, fornices, muta denique & ſenſu carentia omnia, et audiunt & audita loquuntur. ſed neque omnes paſſim laudandi.

Cui malus eſt nemo, qui bonus eſſe poteſt?

Ignoti quoque haud facile compellandi;

Quisnam foret: aut vnde veniret; & quo abiret;

Me nemo ſalutante rogatus eſt viator.

Quid ſi neget aut oderit, & iure rogantem?

Quid multis? intēpeſtiua ſapientia, ſtultitiâ ſæpe pernicioſior: quemadmodum pictorum tabulæ opportuno loco poſitæ, delectant: eædemque minus commodò lumine conſtitutæ, diſplicent. ſic ſermo atque adeo actiones noſtræ omnes, mirum eſt quantum opportunitate commendentur; vt interdum plus in tem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

pore quam in ipsâ re,poſitum eſſe videatur, quorſum

Cannas Mithridaticumq; bellum?
Iam dic Poſthume de tribus capellis.

Bello ciuili Vitellij & Veſpaſiani quum legatos ex vrbe Vitellius ad Antoniũ & Veſpaſiani exercitus de pace miſiſſet; miſcuerat ſe legatis Muſonius Ruffus, equeſtris ordinis, ſtudium Philoſophiæ & placita Stoicorum æmulatus: captabatque permixtus manipulis bona pacis, ac belli diſcrimina diſſerens, armatos mouere: id plęriſque ludibrio, pluribus tædio; nec deerant qui propellerent proculcarentque *ni admonitu modeſtiſsimi cuiuſque & alijs minitantibus omiſiſſet*, inquit Tacitus *intempeſtiuam ſapientiam* Intenpeſtiuum quoq; eſt præſentibus ijs quos obſeruamus domeſticos acerbis expoſtulationibus obiurgare; nam vt recte ille: ſicut acria ab alijs manducata, tuis etiam dentibus, ſi videas ſtuporem obducunt? ita alienarum aſpectu moleſtiarum ipſi quoque perturbamur. Non minus intempeſtiuum præſentibus pueris, liberius loqui velle

Nil dictu fœdum, viſuq; hæc limina tangat,

Intra

Intra quæ puer eſt: procul hinc procul inde puellæ
Lenonum & cantus pernoctantis paraſiti;
Maxima debetur puero reuerentia.

Neque amici igitur præſentibus alijs ob iurgandi. Quum ſuper menſam Socrates familiarem ſibi quemdam increparet acrius; Plato ad eum cõuerſus, interrogauit, an non ſatius fuiſſet hominem ſeorſim monuiſſe? Cui Socrates; Tu vero, inquit rectius feciſſes, ſi hoc mihi ſecre è dixiſſes.

Clam tu argue amicum, inde palam laudibus orna.

Ariſtomenes, quod Ptolomæum regem præſentibus Legatis quibuſdam, ſomno excitaſſet; ad mortem adactus. pæna nimia; quamuis non in hominum conſpectu, ſed ſeorſim regem admonere debuiſſet. Lepidum ſane exſtat Ferdinandi Cæſaris dictum; cum enim Epiſcopus quidam, ei latine loquenti, dixiſſet: parum hæc Cæſar, Grammaticè: ſubridens Ferdinandus, & hæc tua admonitio inquit parum Ethica ſiue moralis. Sunt, ait Macrobius, *quæ ſi coram amicis obijciantur nobis libenter audire poſſimus, vxore vero ſiue parentibus, magiſtriſue præſentibus dici in nos aliquod ſcomma nolimus.* Iocari igitur

interdũ permiſſum. tetrica inquit ille à-mænanda iocularibus

Dicta, ſales, luſus, ſermonis gratia, riſus;
Vincunt naturæ candidioris opus.

dũmodo oculeus totus, omnia etiam minima quæq; circumſpicias; vix quicquã difficilius reperitur vel artificioſius, quã ſalibus optimis vti, qui non ſolum animũ non lædant, ſed ſummè oblectent. *vt ſal,* ait Quintilianus, *in cibis aſperſus, ſi non immodicus, affert aliquid propriæ voluptatis; ita iſti ſales in dicendo, quiddam habent, quod nobis faciat audiendi ſitim.* L. Quintus Prætor, de prouinciâ ſanctiſſimè adminiſtratâ reuerſus ſub Domitiano; quum æger aſſidenti amico diceret frigidas ſe habere manus; renidens alter, atqui eas ait de prouinciâ calidas paullo ante retuliſti. Riſit Quintus, delectatuſque eſt, quippe alieniſſimus a ſuſpicione furtorum. Plutarchus hoc idem, Aufidio Modeſto adſcribit. *Iocum* opportunum ſummè interdum Reip. profuiſſe legimus; Quum Giſco Pænorum illuſtrium vnus, mirari ſe admodum diceret, tam præclaram Romanorum aciem ad Cannas, in procinctu

cinctu ſtantē; & admiratio hæc cōmilitonibus metū incutere videretur; ad hunc eludendum, tempeſtiue Hannibal: At illud, ait puto te multo magis miraturū, quod in tanto hoſtium numero, nemo ſit qui Giſco nuncupetur. Mouit hic iocus riſum aſtantibus, quibus ducis fiducia ſpem etiam magnam attulit victoriæ. Ioco ſæpe odium & iram frangi documento ſunt, iuuenes Tarentini, qui multa de Pyrrho rege ſecurius inter cœnam loquuti, cum rationem facti repoſcerentur, & neque negari res, neque defendi poſſet, riſu ſunt & opportuno ioco, elapſi. Namque vnus ex ijs, Immo inquit, niſi lagena defeciſſet, occidiſſemus te. Eâque vrbanitate tota eſt inuidia criminis diſſoluta. Dixi paullo ante, magnam in iocis cautionem adhibendam; non immeritò: ne quod dicitur, aut ruborem cuiquam incutiat, aut in alicuius vergat ignominiam; vel in iocātis contemptum, vt alibi dictū, accipiatur. *Omnia* inquit Cicero, *quæ vindicatis in altero, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt.* etenim non modo accuſator, ſed ne obiurgator quidē ferendus. qui quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

in altero vitium deprehendit, in eo ipſo deprehenditur. Bello ciuili inter Cæſarē & Pompeium: Cicero interroganti Pompeio, vbi gener eius Dolabella eſſet? reſpōdit, cum ſocero tuo. Cæſar enim Pompeij ſocer. *Adeon hoc indignum tibi videtur filius homo adoleſcens ſi habet vnam amicam, tu vxores duas?* ait Chremes ille.

Manius abſentem Nemium cum carperet; heus tu,
Quidam ait, ignoras te? an vt ignotum dare nobis
Verba putas?

Ineptum nimis eſt, quoties ſcomma tibi incidat, id ſine diſcrimine effutire, & amicum potius, quam dictum perdere velle, quod ſæpe fit; ſcitum eſt illud Ennij, flammam a ſapiente facilius ore inardente opprimi; quam bona dicta teneat, hæc ſcilicet bona dicta, quę ſalſa ſint. Sed & Ennodius, *Facilius eſt ignem* (ait) *in pyras animatum linguâ comprimere, quam ſilentium inter optata ſeruare. Emanant enim vel ſi arctentur facunda conclauibus.* Quid ſi de cauſsâ atroci ſermo ſit; vel miſerabili; tu né ſcommatis vteris?

meâ illud nihilo pluris referet,
Quam ſi ad ſepulchrum mortuo dicat iocum.

Accidit

Accidit interdum vt id quod in aduerſarium dicimus; alijs quoque qui aſſident conueniat: & ſic non in vnius ſed in multorum odium incurras; *vnde inimicitiæ ſæpe graues oriuntur, aut turpis ſatisfactio*, ait Quintilianus. Ea quæ dicet vir bonus, omnia ſaluâ verecundiâ & modeſtiâ dicet. nimium enim riſus pretium eſt, ſi probitatis compendio conſtat. Cicero in iocis, nimius erat, adeo vt a Vatinio, conſularis ſcurra vocaretur. quum Conſul Murænam, qui a Catone accuſabatur, defenderet; magnum ſæpe riſum apud conſeſſum excitauit, ita vt tandem Cato hoc ei reddere cogeretur: Dij boni, quam ridiculum habemus Conſulem? *Philippus dicatior naturâ, quam regem decet*, ait Liuius, *& ne inter ſeria quidem, riſu ſatis temperans*, quo vitio & Seneca laborat. Portio quoque Catoni, viro ceteroquin exquiſitiſſimo, hoc obiectum quod linguæ eſſet acerbæ, & immodicè liberæ. Rhinoceros inquit Plinius, cornu gerit in naribus; ita quorundam ſales dentati ſunt & aculeati. & alibi, Hyſtrix non iaculatur ſpinas ſuas niſi cum prouocatur; at ſcurra in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

quemuis ſua dicta conijcit.

quænam iſta iocandi

Sæuitia?

Laberij iocus damnatur in Ciceronem, qui quum ab eo ad conſeſſum non reciperetur, diceretque Cicero, reciperem te, niſi anguſtè ſederemus, ille nimis mordaciter, atqui ſolebas, inquit, duabus ſellis ſedere, obijciens ei lubricum fidei; ſine cauſsâ; nam quod Cicero dixerat, niſi anguſtè ſederemus, in Cæſarem intelligi debebat, qui tot ſenatores receperat, vt eos quatuordecim gradus capere nō poſſent. illi igitur ioci probantur qui vrbani cum ſint, nec petulantes, nec ſuperbi ſunt; nec tempori alieni, nec præparati, vt domo allati videri poſſint; ſiue ſumantur ex alijs, ſiue ex nobis, ſiue ex rebus medijs. *Aliena* ait Fabius, *aut reprehendimus, aut refutamus, aut eleuamus, aut repercutimus, aut eludimus. Noſtra ridicula indicamus, & ſubabſurda. nam eadem quæ ſi imprudentius excidant, ſtulta ſunt: ſi ſimulamus, venuſta creduntur. Tertium genus in decipiendis exſpectationibus, dictis aliter accipiendis, ceteriſque quæ neutram perſonam contin-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

contingunt; *ideo media dicuntur*. *Poſtremò ridicula aut facimus, aut dicimus*. Atque hic mi fili, SILENTII, cymbam noſtram ad qualemcumque portum me duxiſſe, reor;

Nauiget hic aliâ iam mihi linter aquâ.

diſtinctè omnia perſequi, non huius loci, nec vnius, ſed multorum dierum, addo & ingentium voluminum opus. Sufficiant iſta:

animo ſatis hæc veſtigia parua ſagaci,
Sunt, per quæ poſſis cognoſcere cetera tute.

Hæc ſi in pauca cõtrahas, comperies eum qui ad magna contendat, ita eſſe formandum, vt ſe, totumque ſuum ſermonem componat, ne ab humanitatis ſtatu, vmquam deijciatur, ſed ſollicitus & anxius perpetuò vigilet; Palinuri illius inſtar

clauumque affixus & hærens
Nuſquam amittebat, oculoſque ſub aſtra tenebat.

vigilet inquam, ne quod vſquam factum eius, minus conueniens inueniatur, aut dictum; & cum ſenioribus ſenex, cum iunioribus interdum iuuenis eſſe videatur; non infra tamen grauitatem. *Ioca*, inquit ille, *non infra ſoccum*, *ſeria non vſque ad cothurnum*. idque perinde, vt tamẽ ex æquo eloquentia, cum eo quod nullis hactenus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

præceptis eſt traditum, artificio ſilendi, contendat Antequam igitur, quid aggrediatur, faciat, dicatue, diligenter & minima quæque circumſpiciet. Aliter in foro, aliter in templo vel concilio, aliter in popinâ loquendum; diuerſimodè quoque, tempore fletus, vel gaudij; cum muliere; infante; docto; indocto; furioſo; æmulo; Principe; priuato; amico vero, poculario; patre, matre; proximo, extraneo; ſuperiore, inferiore, æquali; irriſore; ebrio; ſapiente, loquaci. Neque hoc in ſermone ſolo tenendum, ſed in omnibus actionibus noſtris, vt ijs pari ratione decorũ obſeruemus perpetuò. Ergo agedum mi fili, & fundamento hoc iacto, itineri tam præclaro, cum Deo, accingere, generoſi illius pulli Virgiliani inſtar, qui

Primus & ire viam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponto.
Nec vanos horret ſtrepitus.

At ardua ſunt iſta, inquis; ſint ſanè. egregia omnia difficilia, quod enim expoſitum eſt omnibus, quis id audeat egregiũ vocare? at vero quod laudabile, & cum dignitate coniunctum, quamuis difficili-

mum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

mum, generoſis id animis etiam facilimū videri ſolet. Labore tamquam tempeſtate repelli, ignaui eſt animi videri, mercatorem illum, non horreſcere fluctibus turbidum mare; per ſaxa item & per ignes non trepidantem irruere, ignotas adire regiones; vitam denique mille periculis exponere; vt breui periturū lucellum captet; & tu incommoda ſcilicet nonnulla pertimeſces, vt Reipub. Maiorum tuorū exemplo, ſeruiendo; tibi tuæque domui proſis, immo decus magnum (quod toto animo voueo) acquiras?

famamque in ſecla propages?

Abſit. Omnes magni viri, non ſtatim ex vtero matris; ſed ex laborum difficultatibus & anguſtijs prodire conſueuerunt.

Vnde vna oſtentat ſed plurima præmia virtus.

Deſierat Pomponius; quum ego excipiens. Verbis inquam mi pater, exprimere vix poſſum, quam auidè tuos hoſce ſermones hauſerim; præ quibus

Non Arabum ſyluas, non quas legit Africa meſſes;
Optarim; non quas congerit æquor opes.

Dicam liberè, quod ſentio, hanc tuam humanitatem meum adeo pectus occupare

vt nihil

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

vt nihil inueniam, quo præſtare vmquam poſſe ſperem, quantum me tibi debere agnoſco: niſi quod laborãdum intelligam, ne videare de me falſus; & ne tua hæc tam egregia & ſalutaria præcepta, fruſtra mihi inſtillata ſint. Sed nondum te dimitto: nam præter cetera ad aulicam vitam ſpectantia, quæ, niſi graue tibi fuerit, a meridie exſpecto; & minutiora quæque quæ Palatinis ſiue aulicis in Principum colloquijs obſeruanda veniunt, ſigillatim ac diſcretim tuis auſpicijs diſcere, incredibili cupiditate aueo: Adde quæſo hoc, ad priorem gratiam, mi pater,

Obſecro te, reſecro, operam da hanc mihi fidelem.

Viſus mihi ad hæc Pomponius *frontem inuſitatâ ſeueritudine*, (vt cum Plauto loquar) *caperare*; quum ſubiunxit. Plæraque iam a me dicta, pedemque tuum, fili, ſi notaſti, in viam poſui; cetera difficilia nimis & nimis periculoſa: iudicio hîc opus & rerum vſu; nec magis iſta nudis diſcuntur præceptis, quam pugilatio. ſed ne fruſtrà interrogaſſe me videaris, ad ea quæ antea monuimus, paucis hæc etiam accipe. Ante omnia noſcenda Principum

quibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

quibus cum verſamur, vita, natura, moreſque; ad exemplum prudentium medicorum. Aliter cum iuuene; aliter cum ſene; aliter cum mediæ ætatis Principe agendum; aliter cum ſedato; aliter cum ſincero; aliter cum ſimulatore. Iuniores citius iraſci videmus; facilius mutari; libentius donare; auidius ambire; feruidius amare; leuiuſque credere, & ſperare. Seniores vero magis ambigere; ſæpius ſuſpicari; plus loqui; grauius dicere; difficilius miſereri; liberalitatemque minus exerçere.

gelidus tardante ſenectâ
Sanguis hebet, frigentque effœta in corpore vires.

Hæc & talia, niſi quis ad vnguem teneat. fruſtra præcepta requirat: ſed ſtudio opus eſt: reperiuntur etenim nonnulli, qui varios aſpectus induere norunt. De Auidio Caſſio Imperatore ſcribit Vulcatius, eum his moribus fuiſſe, vt nonnumquam trux & aſper videretur; aliquando mitis & lenis; ſæpe religioſus; aliâs contemptor ſacrorum; auidus vini; interdum abſtinens; cibi appetens; & inediæ patiens; Veneris cupidus, & caſtitatis amator. Hoc

primum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

primum in Principum colloquijs notandum eſſe, monuerunt exemplo ſuo, omnes qui apud Principes magni. Aliud ſubiungam. Quum duo reperiantur genera colloquiorum cum Principe, de ſerijs videlicet & iocoſis; duo pariter aduertenda. vt in hiſce quidem, præter ea quæ monuimus, & hoc ſeruemus; ne nos vmquam a Principis loquēdi libertate & benignitate, velut ab vndâ maris rapidiſſimâ, in nimiam familiaritatem trahi patiamur, & nimiâ fortunâ ſocordes fiamus. inter obſequia fortunæ, non ſatis cauta mortalitas.

Fortunam qui auide vorare pergit,
Eamdem malè concoquat neceſſe eſt.

In illis autem, molles aucupemur fandi aditus; Commotum paullò vehementius, non prius ſtatues interpellandum, quàm ſenſim iracundia deferueſcens opportunum tibi reddiderit. *Suadere, Principi quod oportet multi laboris eſt*, inquit ille. In vtriſque, vt quantum fieri poteſt, a delationibus omnibus, & calumnijs etiam leuioribus abſtineamus; quibus traducuntur ignari, & quo incautiores decipiantur, palàm laudati.

Qui cum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Quicumq; alij detrahit, hoc grauat ſe ipſum.

euidenti hæc periculo, maleuolum indicant & inuidum, qui cui ſeſe æquare non valet, eum ad imum, quantum in ipſo eſt, deprimendo, parem ſibi facere contendat. Odioſum nimis eſt vnde alijs infamiam pariat, inde gloriam quemquam recipere. Scribit C. Tacitus, Seianum, cuius infelix exitus omnibus notus, *audacem fuiſſe, ſui obtegentem, & in alios criminatorem.* Danda quoque in omni ſermone opera eſt vt a Principe non rogatus, niſi magnâ de cauſsâ, ſermonem ſeras, atque adeò de eo ipſo, de quo rogatus es, modicè loquaris: facieſque & verba tua reuerentiam quamdam erga ipſum, immò & cultum citra adulationem indicent.

Reuerenter habe quos ſuperi dant ſuperiores
In ſe ſpuit is qui ſpuit aduerſus Olympum.

His addo nonnulla ſæpe inepta, vel iracunda. Principum dicta, æquo animo ferenda, notum vetus illud ὀργὰς τῶν κρατούντων: tum vel maximè ſi corrigere nequeas. Neq; vmquam exprobratione vtendum

vt ille apud Comicum:

Non ego cum vino ſimul ebibi imperium tuum:

prudens

prudentiæ eſt loco cedere aut ſuccumbere; in his enim victoria ſæpè perniciem adfert. Argutè itaque Fauorinus, quum verbum eius quoddam ab Adriano Imperatore, reprehenſum eſſet; atque ille ceſſiſſet: arguentibus amicis, quòd Cæſari malè cederet, de verbo quod idonei auctores vſurpaſſent, riſum iucundiſſimum mouit. *Non rectè*, inquiens, *ſuadetis*, *familiares, qui non patimini me illum omnibus doctiorē credere, qui triginta habet legiones.* Amittitur officij fructus, vbi non ſecus ac medicamentum ei, cuius ſit deſperata ſalus; ſapientiæ præcepta ijs adferuntur, qui aduerſus monentis præſcriptionem, occluſas habeant aures. Neque alius Calliſthenem exitus, quam quem Ariſtoteles prædixerat, ſequutus eſt, qui dicere ſolebat maledicendi licentiam ei, de quo non præclare ſentiret, cum ijs aut tollendis, aut emendandis haud par eſſet, quæ improbaret; minime Philoſohi perſonam grauitatemque decere. Ideo ſapientiſſimus Thraſea, generum ſuum Ruſticum Arulenum plebis tribunum cohibuit; *ne vana*, ait Tacitus, *& reo non profutura, interceſſori*

terceſſori exitioſa inciperet.

Contra Rhodanum ne ſtolide natare tentes;
Contra boream non temere flare ruentem;
Contra pelagi ſtreperum clamare tumultum;
Contra enſiferum rabie certare Syrannum.

Hæc ideo a me dicuntur, non vt liberè loquendi cum Principibus facultatem, quâ ſæpiſſime nihil mage neceſſarium, adimã; nam rectiſſimè Plinius, *fides*, inquit, *in præſentiâ quibus reſiſtit, offendit; deinde illis ipſis ſuſpicitur laudaturque.* ſed circumcîdam. neque iſta ſenioribus dicuntur, diu multumque in ſenatu Principum verſatis, quos libertas decet Papinianea ſed tibi

aſperſo primâ lanugine malas

Libertatem, ait Valerius Maximus, *vehementis ſpiritus, dictis pariter & factis teſtatam, vt non inuitauerim; ita vltrò venientem non excluſerim: quæ inter virtutem vitiumque poſita, ſi ſalubri modo ſe temperauerit, laudem; ſi quò non debuit profuderit, reprehenſionem meretur.* Accidit interdum, vt Magnates tentandi animo miniſtrum aggrediantur; ſciſcitando, puta, vel ad inhoneſta vel iniuſta ſpecie recti alijſque varijs artibus incitando. heîs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

quoq; ne capiamur, diligenter cauendum
Decipulæ vero hæ deteguntur haud diffi-
culter: ſi ea quæ rogantur, aure aceto lotâ
audias, & cum interrogantis naturâ con-
feras; vultu; moribus item; genio; rerum
denique euentorumque conſequentiâ:
Thraſyllus mathematicus, cum a Tibe-
rio Cæſare interrogaretur, quem tum
annum, qualem diem haberet? non tam
ex poſitu ſiderum quàm ex poſitu rupis,
cui inſtabat, & ex naturâ moribuſque Ti-
berij, periculum imminens, ne in mare
ſubiectum præcipitaretur, animaduertit:
ideò hærendo primò; dein paueſcendo;
poſtremò exclamado, ambiguum ſibi, ac
propè vltimum diſcrimen inſtare; diſcri-
men effugit. id ſi Aſinius Gallus obſer-
uaſſet, cum Tiberius ſimulans, in ſenatu
dixiſſet, *ſe vt non toti reip. parem, ita qua-
cumque pars ſibi demandaretur, eius tutelam
ſuſcepturum* nequaquam reſpondiſſet: *In-
terrogo Cæſar quam partem Reipub: manda-
ri tibi velis?* quæ incauta reſponſio, ho-
mini exitium haud multo poſt, quamuis
vultu offenſionem coniectans, rem ex
cuſaſſet, attulit. Adoleſcens ille peregri-
nus ab

nus ab Octauio Auguſto, quem oris lineamentis referebat, interrogatus; num mater ipſius Romæ vmquam fuiſſet? non tam ex ſermone quam ex Auguſti vultu, cauillum deprehendit; ideo matrem quidem ſuam illîc fuiſſe numquam; patrem verò ſæpiſſime, catè admodum reſpondit. Loquebatur etiamnum Pomponius, quùm ſyluâ rediens villicus

cui prægrauat armos
Perdix, atque humero pendet vtroque lepus.

nunciatũ venit, aduocatũ meum præ foribus eſſe, qui me litis meæ cauſsâ, conuentũ cuperet. Ab ipſo poſtquam a meridie, horã mihi dictam cognouiſsẽ; ad ſenem reuerſus, Auocor inquã, a prandio mi pater; inuitus equidẽ, quia te mihi carendũ; ſed ſpe tamen bonâ plenus, fore, vt die craſtini, in eaſdem ſedes reueniamus; & reliqua Palatinis neceſſaria pertexamus.

cras ingens iterabimus æquor

Quùm ad iſta humaniter ille annuiſſet; ſpatijs aliquot factis, ad prandium vocati progredimur; nam

Aureus intereà medium ſuperauerat orbem
Phœbus

Heîc postquam non corpora tantum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

curaſſemus cibis, ſed varijs quoque ſermonibus animos relaxauiſſemus; ego ad Prætorem; ille ad ſeſſiones pomeridianas diſceſſimus.

FINIS.

DESCRIP-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

DESCRIPTIO SILENTII CÆLIO CALCAGNINO AVTORE

CONSEDERAM forte in Preneſtinæ fortunæ delubro ocioſus, oblectabarq; imaginum & picturarũ elegantiâ, quæ in eo miro artificio expreſſæ viſebantur. Quomq; ad dextram oculos vertiſſem : ſeſe obtulit tabella admirabili artificis ingenio variegata. Hic mons præruptus & confragoſus : cuius verticem planum ac floridum fœmina ornatu regio, multoq; auro inſignis tenet. Nec ad eam patet vſquam aditus. Tanta eſt ſalebrarum immanitas. Duæ pręterea aſſiſtebant matronę haud pari habitu, ſed nec diſpari habitudine, miluinis oculis, aſpectu vegeto, viribus inexhauſtis. earum altera tortiles ac multiuagas cate-

nas explicabat Altera quadrato lapide nitens corollas ſutiles complicabat. At magna vis mortalium ore hiulco ad regiam fœminam inconniuenter aſpirabat: multique audacter magis quàm ſapienter ſuis viribus freti nitebantur in ſublimia. verum illos ſæuus fruſtrabatur euentus. Ea enim erat loci difficultas, vt plurimi in ipſis auſpicijs, alij poſt diuturnos labores præcipites ruerent: paucis & his quidem Ioue natis magni numinis auxilio datum erat ſuperas euadere ad auras. Erat autem deus ille totus oculeus. Mouit vero admirationem quod ego nuſquam os eius intuebar, & mihi omnino talis videbatur, quales Græci aſtomos dixere. Huic homines illi excellentes ſacrum faciebant, non thure, non victima, ſed auiculâ quam Gręci κίχλην, noſtri turdum putauere. Cuius aræ inſcriptum erat: Fide ſato. Dum vero ſacrum fieret linguis conſtanter fauebant. At hi ſi peracto ſacro litaſſent, matrona illa quæ catenas explicabat, lorum in cuius termino lapis obſidianus traiectus erat, demittebat. Hunc aſtomus ille deus ori ſupplicum inſerebat

coarc-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

coarctanteſq; illi labia obſtringebant. Tū diua fœmina ſenſim trahens in montem prouehebat. quod ſi caſu illi ora reſignaſſent, ó infortunatos homines, quibus pręſentaria ruina imminebat, & quicquid eo vſque itineris exantlarant, deperibat. At ſi fortunâ meliori ſuffragante eò peruenerant, tum demum coronâ cingebātur, ac magno plauſu è poculo quod regia fœmina propinabat epotabant : perpetuumq́; æuum poſthac ſolutum curis & magnâ cum felicitate exigebant. Quom ego picturam hanc ſtudioſius recognoſcerem, ecce æditimus ad me accedens, Hoſpes, inquit, non indigna res eſt animaduerſione, quam vides. Verū nequid rei nouitate ambigas, accipe toti⁹ picturę ſeriem. conſpicaris ait fœminam regio habitu in montis apice aureo ſubſellio inſidentem. Ea inquit eſt melior fortuna: quam Græci ἀγαθὴν τύχην aliàs ἀγαθὸν δαίμονα, nos interdum bonum genium, interdum deam ſalutarē, aliquando etiam Felicitatem nuncupamus. Ex duabus vero matronis, quæ catenas explicat Phroneſis eſt: nos Prudentiam dicimus. Alte-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

ra Piſtis, id eſt inuiolabilis Fides, quæ nihilo à felicitate deteriore ſunt habitudine. Nam & illis à deis genus eſt. & ſi vera volumus fateri, niſi hæ forent, fruſtra illa expeteretur. At multi ad eam inhiant. Quid enim mirum omnes homines ſalutem exquirere? ſed qui abſque duabus his hoc poſſet, nondum aliquis inuentus eſt. Ille autem quem abſque ore vides, qualem aſtomon Græci, noſtrum quidam inorum appellauere: is eſt deus quem Aegyptij Harpocratem, Græci Sigaliona, noſtri Silentioſum dixere. Nec prius (mihi crede) quàm huic litatum ſit, ad ſalutem patebit aditus. Nam cui parum exploratum eſt, in humanis ſilentio nihil ſalubrius, nihil etiam optabilius? loquacitate nihil turpius, nihil periculoſius? Pindarus Epaminundam laudibus tollens non facile alterum reperiſſe dixit, qui plura ſciret aut pauciora loqueretur. Natura hoc etiam palàm indicauit, geminas aures atque vnicam linguam nobis accommodans, quos (vt ait comicus) plura decet audire quàm loqui. Nam quòd aiunt Amyclas ſilendo perijſſe, quamuis à ſer-

pentibus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

pentibus deletos conſtet, vero tamen pro pius puto ob cuſtodum negligentiam id contigiſſe Xenocrates iubebat pueros potius quàm athletas auribus focalia apponere: ne ſcilicet perditorum hominum audientes inſanias eas regererēt. Bias Prieneus ab Amaſide Aegyptio olim iuſſus, vt optimam atque deterrimam partem è victimâ ad ſe mitteret, linguam elegit. Immo & veteres non puerorum ora ſed aures exoſculabantur, quaſi hac parte magis quàm illa proficerent. Proinde index digitus ſalutaris nuncupatus, quòd eo res mortalibus ſaluberrima ſilentium indicetur. Et nox apud Græcos εὐφρόνη dicta, quòd per ſilentium nocturnum melius quiſque ſapiat. Cum Alexander vno prælio Darium fugaſſet, quam regionem petiſſet omni curâ veſtigans, tamen explorare non poterat, more quodam Perſarū arcana regum mira celantum fide: non metus, non ſpes elicit, qua prodantur occulta. vetus diſciplina regum ſilentium vitæ periculo ſanxit, & lingua grauius caſtigatur quàm vllum probrum: nec magnā rem magis ſuſtinere poſſunt ab eo, cui ta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

cere graue ſit: quod homini facillimum voluerit eſſe natura. Ita eſt profectò, vt-pote Græci dixere, οὐδὲν σιωπῆς ἐςὶ χρησιμώτερον, quod nihil ſilentio vtilius. & ἡ γλῶσσα πολλοὺς εἰς ὄλεθρον ἤγαγεν, id eſt, Multos in perniciem lingua adegit. Nam quot hominum verba per iugulum rediere? quid Staterium hominem Romanum, quid Pauſaniam Lacedæmonium præter garriendi libidinem perdidit? quid contrà Leænam meretricem alioquin infamē honeſtauit fecitq; vt publicè apud Athenienſes eius ſymbolū, elinguis ſcilicet leæna, proponeretur, niſi iuge ſilentium? Quid victoriam Herculi contra Troianos tribuit? ſilentium profectò. vnde & promōtorium Sigeum adhuc celebratur. Huius certè vtilitatis gnarus Pythagoras ante omnem eruditionem voluit diſcipulos loqui dediſcere, propoſuitq; illis ſtatum ſilentium, quam ἐχεμυθίαν vocauit. Hinc myſterium eijciendæ hirundinis: quòd garruli ſint procul eliminandi: licet & temporarios amicos explodendos intelligi voluerit. Verſiculus Græcorum celebris eſt, ψίθυρον ἄνδρα ἔκβαλλε τῆς οἰκίας, eijci inquit

nugato-

nugatores ab ædibus. Interrogatus quidam quid ſibi philoſophia profuiſſet, reſpondit, vt tacere vellem ac poſſem. Natura profecto linguam noſtram labijs ac dentibus vallauit, quod Homerus dixit ἕρκος ὀδόντων: ne verba quæ nos irreuocabilia, ille πτερόεντα nuncupauit, facile ore prolaberentur. Plautus poeta vt oſtenderet indicendum eſſe ſilentium ſilentio, commentus eſt vocis imagine ſine vocali duabus conſonis, ſt. Appius cæcus ob Herculaneum ſacrum ſeruitijs inuulgatum captus eſt oculis. Veteres Romani quantum loquacitas obeſſet conſcij, noluerunt arcanum vrbis nomen inuulgari: quòd vrbium nomine comperto hoſtes poſſint deos euocare: quod Valerius Soranus auſus enunciare, mox pœnas luit. Hoc eſt quod in ſacris fauere linguis dicimus. neque enim in linguâ, ſed corde naſci debet oratio. Hinc Angeronæ ſimulacrum ore obligato atque obſignato, exemplum religionis antiquæ, ob hoc maximè ſilentium inſtitutæ: cui ad duodecimum Calendas Ianuarij ſacrificatur. Eadē cauſa Athenis ara colebatur, quam Dis ignotis

dedica

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

dedicarant. Hoc eſt quod ille dixit ſilere bonis quod linguam paſcere. Contra garrulos ſexcenta exierunt dicta veterum. Sic veritatis interpres Homerus volens maximè Therſiten improbare, eum dixit ἀμετροεπῆ, id eſt immodicos ſermones effutientem. Hinc Græci dixere loquacibus cunctis perforatum eſſe extremum linguæ apicem: hinc id genus blaterones τρύγονος λαλεστέρους, id eſt turture loquaciores. Et nullum garrulum qui non odioſus ſit: & δωδωναῖον χαλκεῖον, id eſt lebetem dodonæum dixere, quòd apud Dodonam puer æneus vento circumactus duodecim pariter pulſat lebetes. Bene, bene inquam. Meliſſius Mæcenas vltroneum ſibi triennio indixit ſilentium. haud minus ſapienter dixit ille: ſtultus quoque, ſi tacuerit, ſapiens reputabitur. &, quiſque tacens ſapit. Et illud Pythagoræ circumfertur πᾶς τις ἀπαίδευτος φρονιμώτατός ἐστι σιωπῶν, id eſt, Quiſque vel ignarus prudentiâ pollet, ſi taceat. Ille item quom ſecretiora quædam peterentur, vrerem inquit tunicam ſi eam putarem rerũ mearum conſciam. Quom alium filius

interro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

interrogaſſet, quando moturus eſſet caſtra, an tu ſolus reſpondit claſſicum non audies ? tanta erat taciturіendi religio. Xenocrates ille interrogatus cur taceret, reſpondit, quia locutum eſſe interdum pœnituit, tacuiſſe vero numquam. Hoc inprimis liberos ſuos Lacones erudiebāt, quos bomonicas appellabant. hinc verbera, hinc dolores omnes conſtanter perpetiebantur. Ille quom vulpecula furto ſubrepta eius fermè latus vniuerſum laniaſſet, obſtinatius dolores perferebat. Tricliniorum etiam forjbus inſcripſerāt, Hinc vox non exeat. Signifex igitur ille egregius quod deum pingeret, eum more laconico pileolo contexit: quod tu ita interpretabere, ac eſſe debeant recondita quæcunque tibi ſecretius fuerint credita. Vel quod in arbitrio cuiuſque ſit largitate naturę ſilentium tenere, loqui uero non æque liberum: aut quod ſeruile vitium ſit garrulitas, ad ingenuos ſilentij honeſtamentum attinet. Nam adulatores & maleuoli, item fœminæ, hoc imprimis laborant morbo. De quibus illud Plautinum exijt, nullam inuentam eſſe

mutam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

mutam omni ſeculo &, κόσμον ὕθλος, &, ſupellex muliebris eſt clamor. Imploden-tes vero palpū &, obtrectatores nō ſilent, ſed promiſcuos ſermones aggerant, dum audientium auribus ij laudes imaginarias hi conuicia aliena infarciant. Hinc & illud Nemo curioſus, quin loquax. Adagium etiam eſt de his qui nouere voci parcere, λύκος ἔβλεψε πρότερος, id eſt, Lupus prius conſpicatus eſt: quòd raucitatem & difficultatem loquendi faciat prior in-ſpiciens. Hoc eſt quod deum vides lupino velamine obſeptum. Nam & hoc genus animal dum prædam agit, ne hiſcit qui-dem, quom ſoleant cætera clamore læti-tiam indicare: quod belle corui exemplo fabulator Aeſopus redarguit. Laneos itē pedes vulgo deis attribuunt, quòd pede-tentim & abſque ſtrepitu ad vlciſcendas malorum iniurias procedant: quo exem-plo pictor deo laneo calceos induxit. De prudentibus etiam dici ſolet illud, ἀλώ-πηξ οὐ λαλεῖ, id eſt, Vulpes non garrit. Pru-dentes enim diligenter omnia potius cir-cunſpiciunt, audiunt ac rimantur: om-ninoquę id obſeruant ne quid præter rem

aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

aut parum commodum loquantur. Immo cæteris illud obijciunt, ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον ἢ σιγὴν ἔχε, id eſt aut dic quippiam ſilentio melius, aut vocem tene. Haud mirum, ideo ſi totus oculeus, totus auritus, deus effigiatur. At huic ſacrum faciunt Ioue ſati. maximos enim quoſque viros Ioue natos putauit antiquitas. Hinc illud, Et mi genus à Ioue ſummo. &, τιμὴ δ' ἐκ διός ἐστι, id eſt, dignitas à Ioue: & χαίρετε κήρυκες διὸς ἄγγελοι, id eſt, ſaluete præcones Iouis nuntij: quom de Talthybio & Eurybate loqueretur. Et illud ᾧ τε Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν, id eſt, cui Iuppiter dignationem dedit. Hinc & Iuppiter dicitur, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, id eſt pater hominumq́; deûmq́;. Et huiuſmodi excellentes homines διογενεῖς, id eſt, Ioue genitos appellat Homerus. &, vt vera fateamur, διὸς ἐκ πάντα τέτυκται ἄριστα, vt ait Orpheus, id eſt ex Ioue bona omnia proferuntur. Quod & Plato ille diuinarum rerum conſcius etiam exiſtimauit. Sacrificant autem turdum, vtpote animal Silentioſo gratiſſimum: quod ſcilicet à garrulitate abſtineat.

De quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

De quo Eubolus prouerbium fecit κωφότερος κίχλης, id eſt taciturnior turdo. Minime enim garrientes turdi exiſtimantur, ſicut & τέττιξ ἀκάνθιος, id eſt cicada acanthina, & rana ſeriphia, & apud Platonem rana gyrina, mutæ exiſtimantur. Atqui ſacrum fit apud aram cui titulus. Fide ſato. nos enim Silentioſum colimus, non eum, quem Admiratione genitum perhibent, ex quo philoſophandi rationem prodijſſe ferunt. Sed illum pulcherrimum, & maximis quibuſque Dis ac principibus optatiſſimum, quem fides peperit inuiolata, ac præfecit arcanorum cuſtodiæ. Hic ille eſt cui poſtquam homines litarint, eis obſidianum lapidem colore nigerrimum, quem ab Aethiopia Obſidius aduexit, ori infarcit. Cuius ea vis eſt magorum omnium conſenſu, vt mutos ac prorſus elingues homines reddat. Et quoniam vt ad felicitatem perueniri poſſit, ſolum ſilentium non eſt ſatis, Prudentia accedens eos catena trahit, catena inquam virtutum numero compacta. Nam ſe virtutes mutuo nexu tenent ac ſubſequuntur, velut illa multiplex an-

nulorum

nulorum ſeries, quam Plato à magnete trahi conſcripſit. Sic etiam ſcientiarum ambitus ille fertur, quem Græci cyclopædiam dixere. Quod ſi contigerit malo aliquo euentu vt os reſignent, ilico periculoſus imminet caſus. nec enim ſatis eſt cœpiſſe, quod bene cœperis. At ſi Dis bene fauentibus ſumma contigerint, præſto eſt Fides, quæ laborum præmium rependat, cinctosque immortalibus corollis ad deæ ſalutaris ſolium perducat. Quæ illi nepenthes poculum propinat, quale Telemacho omnes curas excuſsit: & in futurum emeritis perturbationum ſtipendijs felix æuum degunt. Sic mihi æditimus picturæ ſeriem explicabat. ſed ego mecum cogitans animaduertebam Dis atque hominibus nihil omnino gratius atque optatius ſilentio: hinc agnoſcebam Palladis & Erichtonij panathenaica, canephoroſque & ciſtas: hinc corybantum ſaltus, hinc narthecophoros Liberi, ac thyrſos conuolutos, hinc carbaſinas Aegyptiorum qui ἀκοινώνητοι dicti ſunt, quòd nulli arcana reli-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

gionis impartirent. Hinc Hieroglyphicas imagines, hinc ſiſtra atque aggeres coptitios, hinc Iſidis opertanea & ſecluſa, hinc viſcum quo nihil religioſius apud ſacerdotes Gallorum, hinc philoſophorum fabulamenta & Proteum illum incomprehenſibilem, hinc numeros Platonis adhuc inexplicitos, hinc Samothracum cabiros quatuor acierum Axiocerſan Axiocerſum & Caſmilon, quos quidam Cererem Perſephonem ac Plutonem interpretantur. Nam Caſmilum Mercurium eſſe Dionyſodorus exiſtimauit. & ſi alij duos tantum putauerint, ſeniorem Iouem, & iuniorem Dionyſon. Hinc Mithræ cornua, hinc bonæ deæ ſecreta. hinc deſpici ſacra conqueſtos deos oraculo. hinc canem in puluinari, hinc Eſſenorum adiurationes, hinc ipſum myſteriorum nomen, quòd oporteat μυεῖν τὸ ςόμα, id eſt os obſignare. Sic reges probant, quos in penitiorem amicitiam volunt aſciſcere. Sic Numenius noxam contraxit quòd Eleuſinias cærimonias retexiſſet: cui deæ in ſomnis ſe proſtitutas con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

tas conqueſtæ ſunt. Sic Telemachum Vlyſſes admonet apud Homerum, σίγα καὶ κατὰ σὸν νόον ἴσχανε μηδ᾽ ἐρέεινε, id eſt, ſubticeas & mente tua preme, neúe loquare. Sic ille, βαρβαρικὸν γὰρ ἡ κραυγὴ, ἑλληνικὸν δὲ ἡ σιωπὴ, Barbarorum inquit eſt conclamatio, Græcorum ſilentium. Scio & quaſdam nationes nutibus inter ſe non voce conuerſari: hac ratione tragicus poeta Theodotus quom tentaſſet ex Hebræorum teleta quædam ad fabulam transferre, repente oculis captus eſt. Eadem cauſa Theopompus terrore panico, & animi perturbatione percuſſus vix potuit veniam exorare. Immo vero & prudentiſſimi viri aliquot in ſilentio ſummum bonum ſtatuêre, de quo forte licentius diximus quòd de eo priuatum ſermonem ſuſceperamus; non immemores dicti veteris admonentis, vt tunc verba faciamus, quom aut ſilentium nociturum aut verba ſunt nobis profutura. Nam profecto ita eſt, vt Heſiodus dixit: γλώσσης θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος, id eſt linguæ theſau

rus homini optimus eſt : dum illud ſeruetur, μηδὲν ἄγαν, id eſt ne quid nimis, & illud, πᾶν τὸ καιρὸς, quod in tempore omnia poſita ſint. Ex quo facile vir prudens ſermonis ac ſilentij vices metietur. Felix enim vel ſine anguino druydarum ouo, quiſquis occaſionis articulos intelliget.

Quum fari decuit, tacere velle:
Velle, quum decuit tacere, fari:
Humanis duo ſunt cauenda ſummè,
Priuatis mala publiciſque rebus.
Ex iſtis ſed enim malis duobus,
Malim qua potuit loqui tacentem,
Quam quæ non decuit loqui loquentem,
Nam ſunt quæ pateant tacendo multa;
Et dici potuêre ſæpe multa;
Quæ ſunt temporibus ſuis tacenda.
Ergo aut diſcite garruli tacere;
Aut toto ſemel exſulate mundo.

B. V.

O Lingua, linguâ : vt magnâ eges cuſtodia;
Quæ & alij ſæpe, & ſæpius domino noces.
Multum aſſecutus, qui bene didicit loqui:
Qui bene tacere, non minus aſſecutus eſt.

M. A. M.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Errata	Corrige
Pag. 9. l. 9. plaudiens,	blandiens
p. 18. l. 13. exorabat	exoptabat
p. 22 l. 7. immorori	immoror
p 30 l. 4. flores	florales
p. 42 l. 11. nuriri	nutriri
p. 43. l. 12. cupitum	cubitum
p. 75. l. 3. animi viden,	animi, viden

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
183 M 16